



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Vita R. P. Ioannis Francisci Regis, è Societate Iesv

La Broue, Claude de


Coloniæ, 1660

urn:nbn:de:hbz:466:1-45172



Th. 2548.

K
1
36



La vie des biches J. Fr. Regis

R

C

FI

V I T A

R. P. IOANNIS FRAN-
CISCI REGIS,

è

Societate IESV:

à

CLAUDIO BROÆO

Gallicè scripta,

à

FRANCISCO CREVXIO

Latinè reddita,

utroque ejusdem Societatis

Sacerdote.

coll. soc. Jesu Paderb. 1661




COLONIÆ,

Apud IOANNEM BUSÆUM.

M. DC. LX.

Cum facultate Superiorum & Privilegio




IL

D

EL

An

ne



fo

qu

pu

m

G

an

ric



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. HENRICO DE MAV-
PAS DV TOVR,

EPISCOPO ET DYNASTÆ
Aniciensi, Comiti Velaïorum, Suffraga-
neo immediato Summi Pontificis, Abbati
S. Dionysii Rhemensis, Regi Christianissimo
à Consiliis, Regina Galliarum Elec-
mosynario primo.

NON novum munus offe-
ro, Præsul Illustrissime, sed
exhibeo vetus: nisi si pro
novo munusculo agno-
sces Latinam lucubratiunculam,
quam Gallicam adamasti, tum Scri-
ptoris causâ, tum argumenti vel
maximè. Quæ rationes Auctorem
Gallicum impulerant ad Vitam *Io-*
annis Francisci Regis, illustris memo-
riæ, Tibi dicendam, eadem me ad il-
lam

lam tibi rursus offerendam movent, grati animi significatio, Evangelici *Francisci Regis* labores intra Tuam Diocesim maximam partem obiti, singulares dotes Tuæ. Nam ad primum quidem caput quod attinet, tametsi ad Te scribo ignotus; tamen frater sum, indignus licet, non Scriptoris tantum, sed etiam illius ipsius, quem Dominus Deus honestare quotidie pergit tam illustrem in modum. Vterque si Tibi debuit, debeo Tibi quoque: adeo arcta filiorum nostræ Societatis inter se necessitudo est: & verò honori semper ducam, tanto Præsuli, quoad sinet virium imbecillitas, obsequi & famulari. De altero quid dicam, nisi æquissimum esse, ut qui fructus in agro Tuo extiterunt, iis tanquam Tuis utare? Equidem ea fuit semper (& nosti Tute, amplissime Antistes,) *Francisci Regis*, erga
 Illustri-

DEDICATIO. 5

Illustrissimos Præsules Ecclesiæ, observantia, ut S. Francisci Xaverii æmulus, cujus & decorabatur nomine, & Religiosi Instituti professione frater erat, ad omnes eorum nutus præsto esset; tùm demùm se in excolendis fidelium mentibus fructuosè operam suam locaturum ratus, si primariorum Pastorum ductum ubique sequeretur: quod cùm tota nostra Societas suorum unicuique præscribat, tùm singulari quadam sollicitudine ubique *Franciscus* usurpavit, ad extremum vitæ diem, quam in præclarâ illâ palæstrâ posuit vir Apostolici & animi & ardoris. Tertio loco, unâ cum illo prædico, esse Τε ερητήρα λόγων, περιετήρα τε έργων, (a) & utrâque laude clarum imprimis. Videlicet in eodem argumento scribendarum Vitarum famulorum Dei versatus es prior, & luculentè

A 3 qui-

(a) Oratorem sermonum, factoremque operum.

quidem , qui Vitam edideris & parentis in Christo , & filia , hoc est, absolutissimi illius exemplaris sanctorum Episcoporum, FRANCISCI SALESII, Antistitis rebelliũ Gebennensium, & *Ioannæ Franciscæ Fremiota*, (a) illius quæ Monialiũ Visitationis B. MARIÆ tum in Galliã, tum in Allobrogibus coryphæa extitit, & tãquam mater. Sed quoniam non in fermone, sed in virtute posita Apostolica vita est; idcirco plus in Te est, Præsul Illustrissime, quod facis, quàm quod dicis, semper talis, qualem Episcopum S. Paulus descripsit, ubique integer, ubique pius, ubique misericors: ut non obscure præ Te feras, propositum Tibi esse, beatis illius vestigiis insistere, de quo in Sanctorum numerum per summum Pontificem solenni majorum ritu cerimoniaque optando, tanta Te, tamque

(a) Vulgò, *Madame de Chantal*.

DEDICATIO.

7

tamque indefessa sollicitudo occupatum habet; conjecturaque sit non levis, Te quoque in Cælitum numero quondam, & illustri quidem loco, fore. Interim patere à me Tibi denuò Vitam illius offerri, qui quandiu in vivis fuit, labores suos omnes, itinera, vigilias, æstum, gelu, inediam, ad animarum transtulit utilitates. Tu verò utinam breui pulcherrimi voti compos, FRANCISCUM SALESIUM *Tuum*, si *Tuum* nominare debeo, qui totus omnium fuit; *Tuum* tamen illum tam omnibus numeris absolutum Antistitem, relatum in numerum Sanctorum videas, semper florens, semper charus Deo! Burdegalæ, III. Id. Decemb. M. DC. LIX.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ
servus Observantissimus, |

Franciscus Creuxius, Societatis IESV.

A 4

PRÆ.

PRÆFATIO AVTHORIS.

A Qui boni consule, Lector, Vitam à me tibi offerri illius, cui ipse debeo meam. Dum in id opus incumbo, restituo quodam modo R. P. Ioanni Francisco Regis, id quod ab eo accepi: nec dignus sum qui vivam ad momentum, nisi vitam meam illius memoria in secula propaganda impendero. Nec verò tam mihi fortunatus videor, quod illius beneficio vivo, quam quod vivo illius decori: ac quantum eunque illi debeam, quod ejus apud Deum meritis revaluitum, cum naturalia iudicia omnia conclamant vitam meam pronuntiabant; non tamen me minus illi debere arbitror illo altero nomine, quod vitâ illius beneficio prorogatâ, donatum mihi est, unde illius Vitam in perpetuum in mortalium mentibus & memoriâ conservare possim. Ceterum, multò magis me delectat voti eâ de re concepti reum esse, quam quidquid me ad id aggrediendum impulit: ut si nihil aliud me moveret, ipsa tamen grati animi significatio plurimum ad me incitandum valitura fuerit. Nimiram quo tempore dissolvo tanquam es alienum illud, eodem es alienum suscipere mihi videor: ac longè mihi potius esse debet, exemplar tam sanctæ Vitæ Venerabilis

S. bilis Servi Dei tradere posteris, quàm annos aliquot
 addi ad vitam meam, ita parum utilem. Accipe
 igitur, Lector, quisquis es, Historiam hanc, tan-
 quam coeleste quoddam prodigium potius, quam
 10-
 id
 ad
 in
 ihi
 m
 le-
 m,
 ri-
 i-
 od
 st,
 m
 e-
 n-
 li-
 sa
 ne
 n-
 es
 o-
 a-
 lis
 tanquam fructum laboris mei: atque gratias age
 Domino Deo eo nomine, quod ad decus Servi sui
 illustrandum, prodendaque facta miranda, il-
 lius operâ uti voluit, qui ipse in se expertus sit rem
 illustrem in paucis, ex iis quæ item plurima post
 ejusdem è vitâ mortali discessum evenerunt. Qua-
 rum quidem rerum prioris generis, hoc est, earum
 quæ tum contigerunt, cum is adhuc mortalis inter
 mortales agebat, si non nisi minimam partem at-
 tingo, singularem illius modestiam in usâ, quæ alias
 subduxit oculis nostris: ac si quid ipse nosti quod
 me fugerit, vehementer a te peto illud mihi im-
 pertias, quò locum in secundâ editione inveniat.
 Nec verò in eo immoror, ut ea excussem quæ in hac
 Vitâ scribendâ peccavi: ingeniosorem, videlicet,
 charitatem tuam spero fore in iis dissimulandis,
 quàm stylus meus in propugnandis esse queat.
 Vnum illud à te peto, ne mirere si non semper tem-
 pus locumque designo eorum quæ hic narrantur:
 duorum enim alterum id efficit, vel quod quan-
 tamcunque diligentiam in exquirendo adhibere
 potuerim, rescire tamen ipse non potui; vel quod

minimè duxi id esse necessarium. ne, videlicet, eadem sæpiusculè iterarentur: quæ enim gesta ab eo sunt vno eodemque in genere, gesta sunt variis & locis & temporibus. Atque ea causa est, cur Plutarchus, quem sequi tutò possit quisquis ad Illustrium Virorum Vitam scribendam animum appellit, non semper pareat ei legi Historiæ, quæ adjuncta locorum & temporum prætermitti vetat: quæ ut non me fugit tanquam oculos ejusdem Historiæ esse, sic illud astruo, pro monstro habitum iri Historiam eam, quæ tota constaret oculis. Superest ut Decreto Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII pariturus, antequam ad argumentum aggrediar profitear, contesterque, non esse consilii mei, plus fidei haberi, à quoquam iis quæ à me scribentur, quam quod debetur vel veraci Historico, vel authoritati sinceritatisque eorum, à quibus quæ scribo accepi.

FACVL-

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Aquitaniæ.

EX Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Regum Christianissimorum, nostræ Societati pro libris edendis concessio, Ego *Fronto Gadault*, Societatis IESU per Aquitaniam Provincialis, *Ioanni Busco*, Civi & Bibliopolæ Coloniensi, uni & soli, potestatem ab Adm. R. P. N. GOSVINO NICKEL, ejusdem Societatis Præposito Generali acceptam, facio excudendi *Vitam R. P. Francisci Regis, Societatis IESU, à Claudio Brozo Gallicè scriptam, à Francisco Creuxio Latinè redditam*, utroque ejusdem Societatis Sacerdote. In cujus rei fidem, hoc ei testimonium manu meâ subscriptum, & sigillo munitum dare volui. Burdegalæ, 17 Decemb, 1659.

FRONTO GADAVLT.



R.P. IOANNES FRANCISCUS REGIS,
*è Societate IESV Insignis humilitate,
Obedientiâ & Animarum zelo Obijt 31.
Decembris. A^o 1640. Etatis 44. Reliq^o. 25.
In pago, dicto lalouuesc, In Arvernâ.*

Simon Petit delin.

Gaspar Huberti.

VITÆ P. IOANNIS

FRANCISCI REGIS

PARS PRIMA.

§. I. Ortus, & educatio.



Tſi Virtus vel è tuguriò
 ipſa per ſe nitet, neque
 minus venerationis ha-
 bet apud ſapientes, in
 homine ruſtico, quàm
 in Principe; divina ta-
 men Providentia eidem
 Virtuti adjungit ſæpenumerò claritudi-
 nem natalium, dum eâdem ad multorum
 utilitatem uti conſtituit, quòd nobiles
 vulgo & ſuſpiciuntur magis, & eas dotes
 habent à natura, quæ ſint ad res arduas
 ſublimesque gerendas maximè idoneæ.
 Talis fuit Vita Patris *Franciſci Regis*, quam
 ſcribimus: ejus enim pater ortum duxit
 ex gente *Deſplasia*, per illuſtri utique pridem
 apud Ruthenos, per filium unum ex natu-
 minoribus. Mater *Magdalena Arſia* patrem
 habuit *Segura* dynaſten, virum ſtrenuum,

&

& nobilitatis omnibus numeris absolutæ. Quamlibet autem illustres majores extiterint præstantium conjugum, longè tamen illustrius ad seculorum omnium memoriam iisdem fuit, filium edidisse talem, ut ejus Virtus exactissima, in vivo & in demortuo origo rerum complurium admirabilium fuerit.

Natus est in castello *Fontis-operti*, quod vocant, leucas aliquot Narbone difsito, pridie Calend. Februar. anni à partu Virginis nonagesimi septimi suprà millesimum quingentesimum, quæ dies in feriam sextam eo anno incidit: postmodum per Baptisimum ibidem regeneratus, susceptoribus nobilibus *Francisco Bretenfi Taurino*, Barone *Pechairiensi*, & *Clara Abania*. Et quasi jam tum nefarii dæmones seu ex præclara indole infantuli; seu, ut sagaces sunt, prælagiis aliis præsensissent Virtutem illam sibi quondam exitiosam fore, eum è vivis tollere conati sunt. Eam in rem sagas adhibere: extractoque è cunis per noctem, nutrice dormiente, perinde utique abusi fuissent in *Avernalibus* illis suis conventibus, atquè aliis abutuntur sæpenumerò,
nisi

nisi ad ejus conservationem Angeli sancti
tanquam excubias egissent. Constat certè
nutricem aliquando, dum circà mediam
noctem evigilasset, pusionemque ad lac
præbendum quæsitum minimè reperisset,
dum in illa trepidatione surrexisset confe-
stim accensa candela, (lucerna enim, quam
accensam reliquerat, extincta fuerat à ne-
fariis mulierculis) infantulum sub lecto
reperisse planè nudum, at incolumem : ni-
mirum non minùs providentissimus Pater
ejus salutem curavit, quàm hostis teterrimus
in ejus perniciem conjuraverat.

Puerilem ad ludicra propensionem vel
sensit nunquam, vel cum nutricis lacte va-
lere jussit : nulla re oblectabatur jucun-
diùs, quàm discendis iis, quæ à Christianis
ignorari sine piaculo nequeunt : tamque
exactè respondebat curæ parentum, eun-
dem ad timorem Dei, officiaque Christia-
næ Religionis educandi, ut jam tum ex te-
nuibus istis initiis proclive esset conjicere,
qualis quantusque futurus olim esset. Sic
enim evenit non rarò : qui ad eximiam ali-
quam integritatem morum, sanctimo-
niamque à Domino Deo destinantur, iis
inde

inde

inde à prima ætatula affulget nescio quis
radius, qui lumen rationis anteciat.

Vix annos natus sex, domesticorum Pæ-
dagogorum tam observans erat, ut si quan-
do iis displicuisset, consolationem accipe-
ret nullam: & vel verbum asperius, vel
supercilii contractio, lacrymas ei uberes
cieret. Minæ autem si intentarentur, e-
nimverò hebescebant sensus: ac tametsi à
natura minimè timidus erat, tamen tanta
erat consternatio in objurgato, verbisve
accepto severioribus, ut ad stupiditatem
accederet, & scilicet non, ut pueris ferè
contingit, ex metu pœnæ, sed ex nimia
quadam sollicitudine nemini displicendi,
multò minùs Moderatoribus. Id cum ma-
ter pueruli observasset sæpiùs, pro ea dili-
gentia qua in ejus educationem incumbere-
bat, perspicuumque esset cuilibet ipsum
tam exiguos progressus facere in literis, ut
mater propè eum pro deplorato habens,
quod ad eruditionem attineret, moneret
sæpius Pædagogum, instituti sui rationem
mutaret tanisper, proque severitate quam
assiduè adhibebat, usurparet quandoque
lenitatem. id ubi factum fuit, mirabilis in
puero

puero mutatio consecuta statim, sic, ut parentum vota in progressibus faciendis quales optabant, penè superaret. Sic enim ferè comparati sunt quicumque sunt animo celsiore: lenitate ducuntur, non metu. Eodemque illo tempore haud obscure deprehendi cœptum, Dominum Deum in candidam illam mentem insinuare sese: non enim aliunde posse in ætate tam tenera tot tantarumque Virtutum indicia existere, fugam otii, oblectationumque illarum, quas tam avidè pueruli oblatas arripiant, negatas sequuntur; moderationem in sermone, modestiam in gestu quolibet, decorum in factis: ita, quo tempore vix rudia lineamenta Virtutum edere pueri solent, jam tùm Joannes Franciscus Regis *Cor suum dabat in similitudinem pictura* (a) *eximie illius, cujus ad absolutionem deinde pervenit.*

Conjecturam inde ducas, quòd cùm quinquèni puello excidisset, unde, nescias, ut matri, quæ ejus manum inter inambulandum tenebat, diceret saltitans, *Ero inter damnatos, mater mea;* mulier egregiè piatima

(a) *Ecclesiast. c. 38.*

tum quidem meliora comprecata filiolo, post, adultiori illud ipsum, haud prudenter illa quidem, in memoriam revocasset; ad eam mentionem attonitus Franciscus, penè animi deliquium passus est primùm; mox, tam uberes fudit lacrymas, ut vix ac ne vix quidem adhiberi consolatio potuerit: qua ex formidine quis non videt, quàm altè defigeret animo jam tum considerationem rerum tam abstractarum à sensibus, tamque parum familiarium juveniculis? Sed nimirum illi propè usu venit quod de Sancto Malachia Sanctus Bernardus tradidit, & agebat senem moribus, annis puer.

§. II. *Adolescentiæ tempus, cursusque studiorum.*

Est id ludibrium ætatis, in eaque vitæ parte tanquam enaviganda tam multæ tamque periculosæ procellæ existunt, ut ad scopulos plerorumque ferè omnium tunc naviculæ allidantur. Quo mirabilior profectò censeri debet Joannis Francisci ea in ætate integritas, morumque innocentia, in natura propè ignea, in humorum temperatione tali, ut hilarior esset quàm moro-

morosior, in ingenio minimè tecto, obscurove, in indole planè vivida, minimeque inertii.

Et ad literarum quidem studium quod attinet, non earum fructus modo, sed radicem quoque suavem ipsi fuisse diceret: adeo quæ alii non nisi coacti capeffunt, initia disciplinarum sublimiorum, ipse ultro arripiebat; ut iis planè vel delectaretur, vel delectari crederet. Mores autem tam castigati, ut in eum quadrare possent duo illa, quæ S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio pronunciavit; alterum, ante tempus ipsum sapientiæ & maturitatis, nihil non ab eo maturè graviterque factitatum fuisse: alterum, vias tantum duas notas habuisse civitatis in qua versabatur, qua iretur, scilicet, aut ad Gymnasium, aut ad Templum.

Nullam rei cuiusquam jacturam graviorem ducebat, quam temporis: quantum æquales tribuebant nugis, aut sphæristerio, tantum ipse orationi tribuebat in Templis, in iisque pro ea observantia qua locos Deo dicatos prosequabatur, nunquam versabatur nisi flexis genibus: vultu
tam

tam collecto, tantaque modestia, ut ad eam speciem se quisque ad summi Dei venerationem incitari sentiret.

Ac tamen si satis intelligebat, ita ferè evenire ex nescio qua pravitate animi, Christiano utique nomine indignissima, ut quisquis religiosiorem sese profiteri velit, huic scommata, cavillationesque aliorum excipere necesse ferè sit; nihil tamen propterea remittebat piarum exercitationum, ad quas se à Deo vocari sentiebat intus in animo: neque unquam aut Sacro interesse intermisit, aut ad sacram Synaxim corporis Christi accedere, aut recitare Rosarium, officiumve beatæ Deiparæ, aut cuicumque demùm alii generi rerum similium dare operam, ex insulsa illa cunctatione qua plerique vitiosè retinentur, quis esset de se futurus sermo aliorum. Qua re id evicit tandem, ut non modo nõ deridiculo æqualibus, sed potius venerationi esset: atq; adeo arbitri in morem, eorum ferè jurgia dissidiaque singulari quadam authoritate componeret. Nec vero quisquam eo præsentem immodestius quidquam aut proloqui ausus esset, aut facere: absque

ad
e-
e-
ni,
a,
e-
o-
en
o-
n-
o
a-
a-
e,
m
n-
r,
n.
o
a-
o-
a-
o
d-
e:
ue

absque morositate licentiam inhibebat
prorsus. Quæ minus probabat in aliis, ea
reprehendebat fidenter; verum objurga-
tiones ejusmodi ea quasi temperatione
benignitatis cujusdam minimè simulatæ
condebant, ut vel audacissimus quisque ex
ejus ore non gravatè exciperet illa monita,
quæ non nisi mussitans audiret ex Præcep-
tore.

Nec minus valebat ejus oratio ad eos à
vitio revocandos, quàm ad inflammari-
dos ad virtutem: neque mirum, cum ad
orationem exempla accederent. Ergo si
quis orationi contumacius resisteret, fran-
gebatur exemplis: quos exempla utcun-
que moverant, eosdem hortatio prorsus
impellebat. Certe cum quinque sexve ha-
beret aliquando contubernales, omnibus
in cōmune quædã præscripsit, supra hujus
vulgi consuetudinem. documentum vel
inde capias, quod iis anagnosten impo-
suit, qui dum corpus cibo reficeretur, suas
quoque menti epulas subministraret. Ipse
quidem tantum temporis piorum libro-
rum lectioni dabat, ut eam in rem suffura-
retur quidquid reliqui faciebat studium
preca-

precationis, disciplinarumque : eratque ea quotidiana ipsi animi relaxatio non valenti modo; sed, quod mirere, etiam ægroto : tunc enim nullum ipsi accidere poterat levamen jucundius, quam si quis amicus anagnostes Caput aliquod ex pio libro lectitaret coram : atque erat id quasi vectigal, quod ab invisentium unoquoque exigebat : hoc si dares, nulla præterea in remolestus erat : quanquam ne hic quidem molestus fuisse dici queat, qui id ipsum tam suaviter postularet, ut jucundus esset potius, ut quidem accepi ex uno aliquo è nostris sacerdotibus, qui eo tempore id officii ægro Francisco impendit aliquoties.

Ex illa ipsa pietate existebat candor quidam, tam ab omni dissimulatione alienus, ut cum animi sensu consentiret semper oratio : fucum autem omnem, atque adeo mendacium multo magis horrebat, tanquam larvam quandam, scilicet, exitiosissimam vitæ communi : ac si quando ludens tegere verum fortè vellet, enimvero mentientem vultus risusque prodebat. Non tamen eo usque erat veri tuendi studiosus,

ut

ut ad illud propugnandum aut in clamores prorumperet inconditos, aut disceptaret cum quoquam vehementius: placide jus illius afferebat; si minus adversarius acquiesceret, nunquam tamen (quæ pravitas plurimum inolevit) veniret ad jusjurandum, cujus ne umbram quidem in sermone quotidiano ferre poterat.

Jam tum iridem suam cuique præclare tribuebat, justitiæ tenacissimus vel ea in ætate, quæ nihil fere nisi compendiola sua quærirat: evenitque aliquando, ut cum sponsione lacequivisset quendam ex æqualibus, ni quod adstruebat verum esset; comperto deinde rem secus habere ac affirmaverat, pecuniolam de qua convenerat, miserit ad victorem, nec cogitantem: præclaro documento hinc demissionis animi, illinc justitiæ. Neque cuiquam unquam obtrectavit ipse, neque obtrectatores ferre potuit: una ea fere in re excandescibat, si quis alienam existimationem violaret, cætera placidus semper, & ab iracundia intactus, naturæ licet præfervidæ. Nimirum jam tum juvenilem illam mentem divinis impulsibus Spiritus sanctus dignaba-

gnaba-

gnabatur, per eosque continebat animi perturbationes ea ipsa in parte ætatis, in qua violentiorem dominationem exercere in animos solent.

Neque modò mentem illam ornabat benignissimus Dominus dotibus tam præclaris, sed etiam cavebat corpori, in præsentissimis discriminibus. Constat, cum aliquando Biterras, ubi tum literis operam dabat, è mari se reciperet, quo ad piscationem usurpandam oculis, perrexerat; substitissetque cum sociis in area quadam; ibi cum obdormisset, per somnum, quo sanè altiore correptus fuerat, ad fluvium perrexisse, atque eo usque ambulando pervenisse, ut si vel passum præterea unum progressus fuisset, casurus fuerit in gurgitem præceps, nisi eo momento occulta quadam vi expergefactus, constitisset in vestigio, in aquis interiturus utique; cum nec natare nosset, nec adesset ullus. Quod quidem beneficium tribuebat ipse sancto Angelo Custodi suo, socios ad gratias ipsi secum agendas invitans.

§. III. *Vocatio, ingressusque in Societatem.*

ERgo ad omnem omnino Christiani officii absolutionem, atque adeo ad sanctimoniam incredibili quodam animi ardore rapiebatur pius adolescens: sed quemadmodum eam in vitâ hominum communi adipisci posset, loco tam incommodo, tamque impedito, non videbat. Quæ cum revolveret animo frequens, ingenerari sensim in sublimi pectore odium quoddam seculi primùm, mox cupido Religiosi statûs capessendi: esse enim illud tamquam domicilium virtutis absolutioris. Tum, quoniam tam multa sunt in Ecclesia Dei, Religiosa Instituta, ad unum quidem, eundemque scopum collimantia, sed modo non uno; animum potissime adiecit ad Societatem Jesu, eo maxime incitamento, quod ea sic suos ad Religiosam perfectionem educat, ut in aliorum quoque salutem incumbat non segniter. Et quoniam Religiosam vocationem opus Dei esse jam tum intelligebat, idcirco rem unam maxime necessariam cum Domino Deo tractare aggressus est, per preces ar-

B

dentio-

dentiores, juxta, & prolixiores; per crebra rigidaque jejunia, perque alios quosdam arcanos tectosque corporis cruciatus, quorum acerbitas, ætatis illius teneritudinem superare videtur; interpositis etiam tanquam sequestribus, è beatis Cœlitibus aliquot, augustissima imprimis Deipara, cui colendæ cum inde à pueritia institisset, deinceps illi generi commercii tam quæstuosi dedit se impensius, ad illius promerendam gratiam, quam distributricem divinorum munerum esse intelligeret. Quâ in re declaravit satis, fortis adolescens, quantopere abhorreret ab eorum ingenio leviusculorum juvenum, qui ubi primum de deserendo seculo deliberare ceperunt, remittunt illico non parum de piis exercitationibus, quas ante usurpaverant; quasi id sibi persuadeant, quod Tertullianus in periculosis corruptelis numerat, quòd libertatem suam abdicaturi sint prope diem, idcirco jus se habere aliquod eadem prius ad licentiam abutendi. Alia omnia usurpavit Joannes Franciscus; pervidens nimirum, eos qui sic se adhibeant, simillime facere atque illos, qui ab amico ægrè divel-

divelluntur: atque ad quoddam perfidio-
sæ proditionis genus pertinere, tot tam-
que noxias benevolentiae significationes
edere erga infidiosum illum, quem dese-
ras; injurias utique illi, cui te mancipatu-
rus sis in totam deinceps ætatem: esseque
inlanissimæ prudentiæ, viam sibi sternere
ad amplissima munera capellenda libera-
litate Dei, offendendo Deo. Quare ne ad
eum scopulum impingeret, nunquam ma-
jori studio declinavit à noxia pravorum
consuetudine, nunquam refugit diligen-
tius ab occasione prolapsionum: in id at-
tentus assidue, ut omni culpa vacaret.

Atque ut in rebus quibuscunque, quas
vehementius concupiscimus, moram, si
qua obicitur, delinimus illarum earun-
dem imagine interiori, hoc est, cogitatio-
ne frequentius repetita, & tanquam simu-
lacrum ipsarum aliquod mente efforma-
mus; Joannes Franciscus totus erat in co-
gitatione Religiosæ vitæ illius, cujus ad
communione videbat haud dum se ad-
missum iri; & suis in moribus vivam illius
tabulam exprimere conabatur: sic studio-
si juvenis usurpando officia, ut cum iisdem

quicquid posset ex ea vita quam sequebatur, repræsentaret. Certè præterquam quòd contubernales adduxit ad piam lectionem super mensam peragendam ordine; horas præterea sic distribuit alias, studium pietatis inter, & literarum, ut quoad ejus facere tum quidem poterat, distributionem temporis qua utuntur Jesuitæ, propè imitaretur. Ut tamen quæ in-
tus in animo agitabat, occuleret per vacationes autumnales anni postremi, quo in seculo versatus est, paulò liberius indulgit oblectationibus quibusdam, intra fines decori dumtaxat, à quibus, annis superioribus profus abstinuerat. Siquidem cum antè eodem illo autumnali tempore, interea dum æquales se oblectabant licentius, ipse in secessu aut studiolarum commentationi cuiquam, aut precatiori se se dare consueffet, eo anno & lusit aliquoties, & venationi dedit operam, atque in iis duobus summa fuit rerum jucundarum, quas non repudiavit; ipsumque illud exiguum delibavit idcirco, ut ne quis in suspicionem veniret salutaris consilii, nève remora aliqua objiceretur sanctam defectionem molienti,

molienti, quæ anno denique ætatis Francis-
cisci circiter unde-vicesimo erupit.

§. IV. Tyrocinium.

Vix consequi ullus possit, quali quanto-
que gaudio exultaverit, postquam do-
mum Dei ingressus, circumstantibus un-
dique periculis se se vidit ereptum. Ubi
primùm tanto bono frui cepit, versari assi-
duè in gratiis agendis Domino Deo, pro
beneficio illo, omni pretio, omnique æsti-
matione superiori: dumque incidebat de
divino illo munere mentio, tam incensa
ejus oratio erat, ut audientibus propè hor-
rorem seculi, Religionis amorem ingene-
raret. Ipse quidem tota deinceps ætate, sic
ad Religiosam vocationem affectus est, ut
dubitares sentiretne de illa altius, an cha-
rius eam diligeret: neque unquam aut
dies, aut assuetudo, aut acerbitates iis locis
usurpari solitæ, conceptam de illius digni-
tate opinionem imminuerunt, aut tepo-
rem ullum offuderunt primis ardoribus.
Nec verò ullum vidi eorum quibus cum
Francisco usus aliquis intercessit, qui non
prædicaret, illum, cum virtutibus hominis

Apostolici operarii que omnibus numeris absoluti, primos Tyronum sensus & suavem illam ad res asceticas propensionem conjunxisset. Et verò jam tunc sic illum Deus ad interiora vel traxit, vel rapuit, ut inde usque à primo tyrocinio, semper nobis venerationi fuerit; semper in vita communi in speciem, observaverimus in Servo Dei virtutem talem, quæ vulgare haberet nihil. Crederes illum è seculo neque vitia secum tulisse, quæ emendaret; neque cupiditates quas frangeret: ac quæcunque in Societate religiosè usurpantur, tam ad illius ingenium accommodata erant, ut grave ipsi fore crederes si non ea faceret, quæ non nisi cum lucta aliqua alii vulgò factitant.

Ambiebat nihil, nisi humillima quæque ministeria, in iisque jucundiùs acquiescebat, quàm rerum appetentes earum, quæ in vulgus splendorem obtinent, inani illa humanæ gloriæ specie delectentur. Condiebat quæcunque agenda imperabantur, singulari quodam sensu pietatis; unde iis accedebat dignitas tanta, ut propè exæquarentur factis aliorum sublimibus: nec
quæ

quæ notâ in plerisque cadit, ut quæ minuta usurpant quotidie, ea corrumpat segnitates, cadere in eum unquam animadversa est. Sic enim in iis sese adhibebat, ut amoris Dei, cui sua cuncta dicata volebat, specimen quoddam, ac tanquam characterem ubique agnosceres, qui intuentium omnium animos ad pietatem emolliret. Omnino ad dura & difficilia quælibet, freno egebat, non calcaribus: tanta ceteroqui docilitate adversus Magistrum Tyronum, tanta facilitate sequendi quocumque impelleret, ut imaginem quandam haud obscuram in Religioso adolescente cerne- res primævæ protoplastorum innocen- tiæ.

Adversus æquales autem tantam beni- gnitatem adhibebat, ut cunctos e- vestigio illius conspectus recrearet; tantam obser- vantiam, ut Angelos in eis venerari vide- retur. Quod si eorum aliquis illius opera indigeret, enimverò sæper præsto erat; & scilicet, imis ex præcordiis: in eo dispar a- liorum, quod cum ferè tyrones offendan- tur perfacile, si quid ab aliis usurpari vi- dent, minus consentaneè aut ipsi officio,

aut conceptæ de eodem officio opinioni; ipse nulla unquam censoria nota aliorum facta insectabatur: ac tametsi ab omni specie mali vel tenuissimi abhorrebat in se, nunquam tamen non probabat quæ fiebant ab aliis, nisi si luce meridiana clarius a recto honestoque deflecterent. Et vero est id vel maxime bonorum, aliorum ut peccata excusent quoad licet: nam cum ex se alios metiantur, vix ac ne vix quidem adduci possunt, ut de quoquã deterio rem in partem suspicentur. Religiosus quidem Tyro vim ingenii totam eò torquebat, ut probro culpaque eximeret ea ipsa, quæ speciem mali vitivæ aliquam præ se ferrent. Si quid fiebat dicebaturve licentiùs, id agebat ex natura lætiore existere: quæ puerili levitati ascribi poterant, ipse oblectamenta vocitabat insonis animi: ex candore quodam ingenuiori proficisci dicebat ea quæ jactantiam potiùs olerent; quæque vel ex præpostero sui amore fecisse videri quis posset, ex nimia indulgentia mollitiæve, in iis quæ ad mulcendos sensus pertinerent, illa Franciscus tribuere solitus erat, vel necessitati, vel certè motui
cuidam

cuidam mentis tam præcipiti, ut rationi prævertisset. Ita quantumcunque ipse in suis ipsius nævis dispiciendis esset lynceus, cæcum penè crederes in observandis iis, in quibus peccarent alii.

Qua in re ut fortasse modum superabat, ita in se objurgando semper severior fuit, seu iudicium spectes quod de suis peccatis ferebat, seu pœnas quas de se ipse leviori sæpè de causa exigebat. Hinc leves semper existimabat acerbitates illas, quibus eum in se animadvertere Superiores sinebant; ac quantumvis duriter corpus haberet suum, nunquam tamen exsatiari poterat illius cruciandi sitis. Se quidem verberabat tam atrocem in modum, ut tyrones alii stuperent: in tanta tamen acerbitate tam comis, ut nihil esset familiari illius convictu suavius. Atque hinc illud ipse experiebatur, quod in junioribus præsertim perrarum est, ut tametsi externam illam severitatem ablegabat, nihilo tamen difficilùs gustaret Dei dulcedinem: sic enim habebat sensus edomitos, ut per eos tanquam per toridem aditus, suavitatem illam interiorem exciperet.

In linguæ custodiam invigilabat studiosissimè: cui tam felicitet moderabatur, ut nullum unquam repererim, qui vel verbulum in eo reprehenderit. Nimirum parcissimè loquebatur, silentii perpetuus amator & custos. Sermonem de rebus piis atque asceticis, quæ una erat Francisci oblectatio, inducebat perquam industriè: eo afficiebatur ipse suprâ modum; eo suavissimè distinebat alios, sicut eorum in mentibus sensus eosdem ingeneraret: &, quod mirere, nemini propterea gravis erat familiaris illius consuetudo, atque adeò neminem unquam ea de causa à se abalienabat.

§. V. *In docendo ut se gesserit.*

A Tyrocinio statim, ad instituendæ juventutis munus traductus est. Videlicet hunc ipsi continuò divina Providentia campum aperuit, ubi virtutes alias exerceret, quarum in acquisitionem tam gnaviter toto Tyrocinii tempore incubuerat; præclarè secum agi ratus, eam provinciam demandari sibi, quæ tanquam boni publici fons & origo sit, ac velut fundamentum
feli-

felicitatis Rerumpub. atque regnorum. Omnino vix pictorem ullum, aut statuarum opificem reperias studiosiorem extremæ manûs cœpto operi imponendæ, quàm Franciscus in id curas suas conferebat omnes, ut quot habebat discipulos, tot famulos quam absolutissimos summo Domino pararet. Quâ in occupatione illud merito permirum visum semper iis, qui in eâdem palæstrâ versati sunt, quidquid tandem pueri illi ineptirent, ipsum nunquam vultu fuisse commotiore: dumque jubebat in eos animadverti, tam lentè pœnam imponere solitum, ut ne vocem quidem tolleret: eo sibi ipsi displicens, quòd severitatem in eos exercere cogereetur.

Erant illius objurgationes seriæ eadem, & mixtæ miseratione: in iisque semper id præ se tulit, ut egregiam opinionem de iis ipsis quos durius verbis accipiebat, habere se se demonstraret conceptam animo: ex quo illud fiebat, ut quamlibet aculeatis verbis in objurgando uteretur, non tamen propterea eorum à se studia abalienaret, quos hunc in modum castigabat verbis: atque id ego trado, quòd istiusmodi incre-

pirationibus sæpenumerò interfuerim, cum eo Magistro usus sim in Scholis nostris: quo tempore, si per ætatem licuisset dicta factaque ejus plenius observare, potui utique annotare quamplurima, dignissima quæ hîc afferrentur: sed erat tum ætas infirmior. Illud tamen probè memini, Franciscum iis artibus tam præstantem opinionem sui in eorum animis concitasse, qui in Collegio tunc audiebant, ut pro Sancto à nobis haberetur; & verò difficile nobis fuisset, secùs de eo sentire, intuentibus quemadmodum Religiosam modestiam cum diligentissimi Professoris officio conjungeret. Capiebat quidem nos mirificè, collecta oris totius compositio, gestus, incessus, habitus totus externi hominis: sermo autem vel maximè; quippe nihil penè aliud loquebatur, nisi cælum, honestatem, sanctos cælites, Sanctorum autem Regnam præcipuè; uno verbo, Christiani officii absolutionem: &, scilicet, tantâ verborum efficacitate, ut audientium nemo non permoveretur: Hinc illa in ejus propriè discipulis pietas, gravitas, continentia tanta, ut perfacile eos ab aliis distin-

disting-

distingueres: in illâque morum conforma-
 tione suspiceres mirabilem Magistri in in-
 stituenda juventure peritiam. Quanquam
 extra eos limites jam tùm ferebatur incen-
 sissimus illius ardor lucrandarum Deo a-
 nimarum: jam tùm in omnes partes Eccle-
 siæ curas vertebat; ac jam tùm meditaba-
 tur animo Apostolicas occupationes eas,
 in quibus se deinde exercuit.

Hinc illa familiaris Francisco gratulatio
 ad Concionatores, quoties ex ejus voto
 extraordinarios fecerant animi motus:
 videlicet beneficium singulare collatum
 sibi propriè interpretabatur, quoties ali-
 quid præclarè ad dilecti sui gloriam per-
 actum erat, animarumque utilitates. Ne-
 que modò gratulationem adhibebat, pre-
 cesque, ad secundos istiusmodi eventus à
 summo mentium Moderatore impetran-
 dos, sed etiam jam tùm se se ad eos adjun-
 gebat frequens, quò in præclari consilii
 communionem se se sensim insinuaret; ex
 eoque ardore haud difficillimè conjiceret,
 qualis quantusque eo in genere evasurus
 deinde esset, ex eo, scilicet, genere opera-
 riorum, qui messem ingentem cogunt in

cælestes apothecas. Memini me ejus in comitatu fuisse aliquãdo, dum primæ Grammatices scholæ professor Anicii, ubi sat diù docuit, excurrere ad vicinum pagum, verba ad populum factururus, Sancti nescio cujus festæ celebritati exornandæ: successus is fuit, ut venerationi jam tùm esse ceperit audientibus; cùm affirmaret unusquisque, nihil unquam tale à se eo in genere auditum.

Verùm, si tam rapax rusticanarum mentium verbi Dei prædicatio fuit, longè fuit rapacior ejus deinde consuetudo, usûsque vitæ communis. Vidua quædam pia & religiosa, cùm in convivio qualicumque eodem in pago assedisset, quod suo Ecclesiastæ de more homines benefici apparaverant, tantum cælestis consolationis ex sermonibus à Francisco super mensam indutis hausit, ut aliquot post diebus, cùm nullum laudandi illius finem faceret, id prætereà mihi addere non dubitaverit, se perlubenter copiam talia ex eo audiendi denudò, nec modico pretio redempturam; adeò accensam se se cælestibus iis facibus affererebat.

§. VI. Phi-

§. 6. *Philosophiæ Theologiaeque studia.*

Vbi aliquandiu pueros ad eum modum instituerat, Turnonem à Superioribus evocatus est, quò daret operam Philosophiæ. Ibi sic se se adhibuit, ut quicumque cum eo tunc egerunt, affirmant consensu, nullam in eo virtutis cujuscumque laudem desideratam fuisse illarum, quas in suis Scholasticis exigit Societas. Ac Magistros quidem suos sic reverebatur, vel colebat potius, ut non modò ipsos, sed etiam eorum placita adamaret; dumque cum iis agebat, seu proponeret ipse ea de quibus ambigebat, seu respondentium definitiones exciperet, tantam & demissionem animi, & docilitatem præ se ferebat, ut vel invitos ad amorem sui traheret, cum tantæ virtutis admiratione conjunctum. Condiscipulos autem incredibilem in modum afficiebat, & ad se propè venerandum adducebat habitus totus exterior sanè modestissimus. Nempe semper collecto animo erat, semper gravitatem quandam minimè morosam retinebat; ut idem propè Franciscus in scholâ esset, atque ad
Ora-

Oratorium : sicque animum adjiciebat ad ea, quæ Præceptores tradebant, ut interim Deum assiduè spectaret præsentem: atque adeò quo tempore erudiebatur à Magistris, eodem ipse condiscipulos altiori quadam Philosophiâ imbuebat, eâ videlicet, quæ in morum conformatione posita est. Enitebat autem præcipuè singularis illa modestia in concertationibus, in quibus cum tam proclive sit labi, ut experti norunt, hoc est, abripi quodam æstu iracundiæ, aut spiritus præ se ferre altiores; in Philosopho nostro, neque gestus ullus, neque vocis flexio, neque motus alius observatus unquam est, in quo quidquam minus castigatum inesset, aut quod ullam corruptæ naturæ pravitatem redoleret.

Nec verò miretur quisquã tantam mentis æqualitatem in re sanè lubricâ, qui illud reputet, Francisco æstimationem sui nunquam, semper gloriam Domini propositam fuisse: unde illud perpetuum ipsi fuit, quod contingit per paucis, ut si fortè minus adstantibus concertationis exitus arripisset, non minus tranquillo animo esset, atque alii gestite in circumstantium plausibus

bus soleant. Et verò tam alienus erat ab applausu illo sequendo, ut contrà, prædicentii, quibus cum eo arctior quædam consuetudo intercessit, solitum eum idem consultò id agere, ut pro stupido haberetur, quò in contemptum aliorum veniret, ac tum exultasse, cum ruboris materies in istiusmodi exercitationibus extiterat.

Porro, quantumcunque urgerent exercitationes istius generis, nunquam tamen quidquam temporis detraxit occupationibus religiosis aliis, quin etiam & aderat semper operam suam requirentibus; & occupabat ultrò, si quod ministerium aut asperum, aut in aliorum oculis abjectius occurrebat. Quare nihil mirum, si nunquam in Francisco studiorum ardor sensum rerum divinarum tepescit: nimirum & studebat idcirco, ut divinam gloriam amplificaret, in aliorum salutem aptius per doctrinæ studia incubiturus postmodum; & iis ipsis studiis crebras preces intermiscibat, breves illas quidem, at incensas; ita, quæ occupatio in plerisque aliis ex genere earum est, quas in ratione
Chri-

Christiani officii medias vocamus; in Francisco pia & religiosa tota fuit. Interea verò dum se ad sublimiora accingebat, necessaria præsidia solidæ eruditionis comparans, nihil tam avebat, quam Evangelicis operariis comitari, & quod in se erat jam tum ad fidelium plebeculam instituendam, hortandamque conferre. Certè prædicat etiamnum unus è nostris Sacerdotibus, cum, eo socio per id tempus anno toto ad pagum quemdam excurreret Dominicis Quadragesimalibus, & celeberrimis quibusque festis diebus, non potuisse se satis incensissimi juvenis studium industriamque demirari in paganis aut instituendis, Catechetica doctrinâ tradendâ, aut ad homologesim perpellendis, postquam unumquemque privatim instituerat. Hos singillatim deducebat ipse ad Confessarium, alios ex aliis; neque modò ex parocciâ in quâ tunc versabantur, sed etiam ex circumpositis, ut sæpenumerò cum angustiis temporis intercludi se diceret Sacerdos, cedere tamen cogeretur Francisco, piè instanti ne rei benè gerendæ occasionem elabi sineret: ita, eundem fuisse quâ
vole.

volebat, paratæ messi colligendæ. Id verò oneris Sacerdos idem asserit sibi fuisse levius, idcirco quod non, ut ferè ruri evenit, cum rudibus rationem habere necesse esset: tam præclarè enim comparatos illos vulgò ad confessionem accessisse, ut sive peritiam spectaret, sive pios mentium motus, non posset ipse non incredibili perfundi lætitiâ.

Extat etiamnum, suisque præclarè stat legibus, per ea tempora constituta à Religiosissimo juvene Sodalitas SS. Sacramenti, quæ ut primus fructus extiterit Apostolici illius spiritûs, qui tum primulum in eo sese exerebat, non tamen caruit suâ soliditate: nam ea hodieque fructus profert tam uberes, ut ex eorum magnitudine, quæ fuerint illius primordia, dignosci facile possit. Jam tum ad Franciscum adibant Sodales Dominicâ quâque die, dictorum suorum, factorumque exposituri rationem, ad eum ferè modum, quo in Religiosis Domibus tyrones apud Magistrum solent: exostulabatur de iis, qui ad œnopolia adissent, qui aleam exercuissent, qui pejerassent, qui uxores immerentes indignius habu-

habuissent, qui quovis alio in genere offensionem publicam præbuisent: & quævis erat divini Spiritûs, quamvis juveni parebant omnes: neque recusabant quin facerent ea, quæ vel pœnæ, vel medicinæ nomine, à novo moderatore imperabantur. Et quoniam inter cetera quæ de Christo mortalium Servatore prænuntiata erant, illud de pauperibus evangelizandis locum illustrem obrinere intelligebat, non modò rure, sed etiam domi reperiebat, ubi id nec infructuosè exerceret; provinciam videlicet sibi deposcens, domesticorum famulorum Catechetica institutione imbuendorum, quâ in re diligentia erat singulari: atque hunc in modum disciplinarum studium cum animarum zelo semper conjunxit Joannes Franciscus, quandiu Philosophiæ dedit operam: post, Tolosæ, quandiu Theologiæ studuit, factitavit eadem, hoc uno discrimine; quod ut in dies accedebat rerum plurium & notitia, & usus, ita majora, absolutioraque meditabatur & peragebat.

§. VII. *Initiatur Sacerdotio.*

QVæ ut cuncta sic haberent , tamen cum adhuc divinâ illâ potestate careret , quæ est cum Sacerdotio conjuncta ad animarum utilitates,angebatur animo videlicet, & miro quodam ardore ambiebat, ut ita dicam, Sacerdotium. Non quòd ex sui cognitione ac despicientiâ, non se tali, tantoque honore judicaret indignissimum: sed eâ quasi in pugnâ, charitati proximi concedebat tenuissima illa quam insculptam animo habebat, opinio sui. Equidem illud planè compertum habeo (sic enim illum exclamantem inducit Author ejus Vitæ Gallicus) *me omni ex parte indignissimum esse Sacerdotii decore: ac si nihil aliud respicerem, nunquam de tanto gradu dignitatis adipiscendo cogitationem suscipere fas mihi esse ducerem: verum, æquumne sit, Domine Deus, idcirco me deesse obsequio, quod tunc liceret summæ tuæ majestati impendere, quod nihil tale promerear? an æquum sit infinitæ tuæ excelsitati obesse humilitatem meam? an non rationem habere me convenit potius eorum quæ tibi debentur,*

debentur, quàm eorum quæ mihi sunt accommoda? ac si non possum tibi aptè famulari, nisi Sacerdotis dignitate auctus; an non in culpâ sim, si quo honore sim indignus, eum cum tua gloria jactura defugiam? an verò si deficior dotibus plurimis earum, quæ in Sacerdote Dei vivi requiruntur, ac propterea vetor Sacerdotium expetere; plus isti meæ indignitati tribuam, ab eo me revocanti, quàm divinis tuis perfectiõibus, ad illud optandum impellentibus? an denique quia indignus ego sum, idcirco desim animarum dignitati, quarum salutem sempiternam nequeo aliter accurare? Accusent me sanè pravae ambitionis, caelum terraque, si in tam illustri gradu ambiendo, rationem duco mei: sed si tuæ gloriæ intuitu, salutisque proximi, eò feror; est cur metuum potius, ne lentior adhuc hic fuerim.

Hæc ergò sequens atque intuens, non dubitavit, ubicunque se dabat occasio, præ se ferre Sacerdotii cupiditatem; nec, tam præclarè sibi conscius, metuebat, ne ambitionis insimularetur. Quare apud amicissimum quemque è Nostris memorabat sæpè, felicem profectò conditionem eorum esse, qui hoc in exilio plus honoris Deo intrà diei unius spatium deferre queant,

ant, quàm beati Spiritus simul omnes, seculis omnibus in cælo : præstantissimum esse , offerre quotidie supremo Numini victimam talem , cui non minus venerationis debeatur , quàm ei ipsi cui offertur : summum quiddam esse , quotidie in se & excipere & gestare bonorum omnium fontem atque originem: nihil ad recreandas cælesti quadam lætitia mentes valere magis , quam eam cogitationem , tribus verbulis posse te terro dæmoni eripere animas eas , quas ipse per dirissimam tyrannidem arctissimis quibusque vinculis impeditas distineat. Hæc verò sic ejus animum incendebant , ut contineri se nequiverit, quin tempus occupans, quo initian- dus foret , si communem aliorum morem sequeretur , ultrò adierit ad Rectorem Collegii , nihilque respiciens eorum, quæ suggerere tali tempore ac loco humana prudentia ferè solet , candidissimè flagita- verit, uti auctoritatem suam interponeret, perficeretque, ut quamprimum sacris ini- tietur Ordinibus ; quo beneficio nullum in se proficisci majus posset : id si perfecisset , se verò sacra tringinta Deo ejus causâ obla-

obla-

oblaturum, tanquam eximii benefactoris. Perculit initio Rectorem parum usitatae postulationis genus; quoniam tamen perspectum exploratumque prorsus ipsi erat, quâ mente, quoque consilio eò Franciscus ferretur; annuit petitioni, effecitque, ut intrâ perbreve tempus consecraretur Sacerdotio. At Franciscus ut ardentissimè id concupierat, ita continere se nequibat, quin quem lætitiæ sensum intus fovebat, proderet foris. vultus, frons, oculi, jucunditatem eam loquebantur, sermo dissipabat, ita dumtaxat, ut ab amantissimo quoque sui precaretur enixè, magnificaret Dominum secum, seque jvaret in gratiis pro singulari illo munere agendis.

Ut verò nullam non diligentiam curamque attulit, ad sacros excipiendos Ordines, ita nihil prætermisit, quò se ad cælestes primitias Domino Deo per Augustum Sacrificium offerendas compararet: & idem supremus Domini famuli sui votis benignè obsecundans, tam liquida voluptate tamque suavi, illius tunc mentem opplevit, ut intimo illo ardore erumpente foras, ipse non modò æstualet, sed etiam

in

inastantes, ætuse eosdem illos derivaret, quorum plerique, motus animorum insolitos tunc senserunt. Et permanſit donum idem in Francisco, tota deinceps ætate: quoties ad aram faciebat, ingenerabat in eorum mentibus qui aderant, suavissimos quosdam sensus de Deo, deque rebus cælestibus; ipse, tamen si ferè semper suavissime afficiebatur sacrificans, tamen id observabat sedulò, ut rationem aliorum potiùs habens quàm sui, longior ne esset in sacro faciendo, ne dum sibi indulgeret nimium, molestus esset adstantibus. In id potiùs jam tum incubuit, ut quando animarum causa Sacerdotium depoposcerat, ad animas Deo lucrandas illicò converteretur. Ergò ubi opportunum visum est Superioribus, aggressus est ad rem, & eo quidem successu, inde usque ab initio, ut jam tum intelligere quivis posset, Franciscum ad magna quædam sublimiaque vocari à Deo. Videlicet jam tum mirum in modum industrius fuit, ad pelliciendos in beata retia peccatores, hoc est, alliciendos ad confessionem: ac spiritu

C

Dei

Dei ejus mentem copiosè collustrante, abundabat dolis illis bonis, quibus se Corinthios decepisse Apostolus gloriatur. Verùm, tametsi nihil erat religiosissimo viro in audiendis confessionibus exactius, abhorrebat tamen à meticulosa illa severitate, quæ vel culpam agnoscere sibi videretur, ubi culpa non est; vel si qua est, eam suprâ verum æquumque amplificat: illud contrâ prædicare solitus, *Muscas plures melle modico, quam copioso felle capi.*

§. VIII. *Vita Apostolica in Missionibus.*

VT ad Sacerdotium illud tam ardentè concupitum quibuscunque potuerat modis, comparaverat mentem suam; ita ubi semel decus illud adeptus est, nihil non egit, ut cælesti dignitate sanctè uteretur, tantamque potestatem vel ad suam ipsius perfectionem, vel ad proximi sempiternam salutem converteret. Cerneret eum redundare divino illo multo, cujus vim cum intrâ se continere nequiret, nimirum beatam illius efficacitatē transfundebat in alios, & aptissimè quidem tum ubique pas-
sim

sim, tum in Missionibus potissimum; siquidem in iis Domino Deo vbertim benedicente famuli laboribus, famulo larga illa munificentia utente ut par erat, & Angelorum vitam potius quam hominum ducente, fructus existebant sanè mirabiles. Sequebatur præcipuè locos incultos, ac propè vastos, vbi nihil molle sensibus occurreret; tempus autem præcipuè hibernum: ut dum montanis hominibus, atque adeò agrestibus magnam partem, frigorum asperitas consuetis occupationibus penè omnibus interdicebat, vir Apostolicus illud eorum otium ad neglectarum animarum utilitates transferret. Obibat pedes pagos singulos, alios ex aliis per medios labores, æquè & discrimina; luctandum sæpenumerò erat cum ventis, cumque nivibus: persequendum iter dies noctesque, nullo plerumque tramite, nullo vestigio eorum qui antecessissent; ut vix præcipitia à tuto loco distingueres: ad ea subridebat Franciscus, vultu nihilo minus hilari, quàm si amœno loco exspatiaretur.

Accepi auditione ab uno aliquo, ex iis,

C 2

qui-

quibus sociis comitibusque, difficillimis in Missionibus usus est, cum unà cum illo per pagos concursaret hieme, per nives tam altas, ut ne incolarum quidem penè ullus itineri credere sese auderet, ne nivibus iisdem mergeretur, obruereturve; aliquando noctem supervenisse euntibus, & scilicet procul loco ad quem tendebant. Rogabat ille idem ex quo hæc rescivi, progredientem Sacerdotem, consisteret in vico viciniore, quem designabat: sibi non tantum esse virium, ut reliquum illud iter conficere posset tam intempestivo tempore: supra lassitudinem, metuere etiam periculum. Sed se deduci à suscepto consilio Vir Dei non est passus, indignum ratus moram ullam interponi Domini negotiis; aut quod à se solatium auxiliumque expectabant ii ad quos properabat, ullo modo differri. Vadunt itaque per difficultates incredibiles: sub pedibus cedente nive, nunc cadebant, nunc altè immergebantur: à recto itinere aberrabant identidem: tum ex parietinis quibus eo in tractu agri ferè cinguntur, in loca depressiora præcipitantes, mox per easdem reptare ad emergendum
coge-

cogebantur. Tenuit ea molestia horas ipsas duas: ut focius cum ex tanta defatigatione vix animam duceret, nequirit sic dissimulare, ut non identidem exostularet. At Franciscus blandè addens animos, suggerebat, tempus illud profectò esse, præclaro labore aliquid ex Dei liberalitate promerendi, eidemque Domino Deo testificandi, non usque eò se constantia, mentisque fortitudine defici, ut non unius illius causa molesti aliquid perferrent. Interea ululabant lupi undique in vastitate sylvarum, per quas necessariò pergendum erat: ita animam suam ambo ferentes in manibus suis, tandem pervenerunt ad destinatum locum, iter regentibus sanctis Angelis Custodibus; nam quemadmodum alioqui expedire se ex istis labyrinthis potuissent, & nullo quidem incommodo, præter illud laboris, cum aliqua sollicitudine conjuncti: quãdo ille ipse quem ducem viæ sequebantur, quo loco esset nesciebat? Atque iis similia sæpè virum fortem exercuerunt: cum enim per multitudinem, vel turbam potius, eorum qui ad confitenda peccata confluebant, nunquam liceret

ullo pago exire, nisi sub vesperum, nox penè semper ingruerat, antequàm ad alium pervenisset. Neque tamen propterea de mentis unquam tranquillitate dimovebatur, quidquid exantlandum esset laborit, quidquid exorbendum molestiæ. Videlicet tum maxime lætabatur, cum maxime in hospitio vel parato vel reperto rebus destituebatur necessariis: ut cum aliquando exiguo in mapali, ubi pernoctandum fuit, nihil nisi panis secundarius, & agrestium fructuum quiddam repertum esset, objicienti socio, paulò commodius divertaturos fuisse, si in pago substitissent, quem fuerant prætergressi; *Atqui quod ad me quidem attinet, sic, inquit, habeto, mi frater, nunquam mihi esse jucundius, quam cum incommodi aliquid tolerandum est.*

Et verò erat hoc ei solenne, ut fomenta penè omnia rejiceret: largiensque socio commodiora, semper incommodiora quæque, ac despiciatiora retinebat sibi. Si quando equos ad se duci patiebatur in iter, nihil aliud nisi socii commoditatem sequebatur: id adeò ex eo compertum multoties, quòd ubi semel iter esset ingressus, obten-

obtēdebat ferè aliquid, unde persuaderet comitibus, commodiùs se pedibus iter facturum: ita ex equo cùm descendisset, iubebat pedissequum conscendere: ipse iter emetiebatur pedes, sudore ex vultu nonnunquam ubertim defluente; omnibus interim incessens lætitiis, quod exiguum illud incommodum Dei sui causa perferendi se se dabat occasio. Post quæ, noctes ferè non in culcitra, neque in lecto, sed in scamno, aut in sedili, aut etiam in ipso tabularo exigebat: ac si quando recurrere non posset, quin lecto uteretur, tum in eo ad breve intervallum temporis acquiescebat vestitus; postmodum, ubi molesti interpellatores abscesserant, descendens silenter, noctem reliquam traducebat in illa duritie. Confessionum autem audientiarum laborem in multam noctem protrahere frequens; nam cum quocunque veniebat, templum ferè semper plenum esset iis, à quibus ad homologesim expectabatur, ut cunctis satisfacere, neminemque dimitteret non confessum, præterquam quod jejunos in Æde sacra perstabat, interdium capiendi cibi immemor, per-

frequenter aures in multam noctem accommodabat pœnitentibus, semper ab obrepentis somni molestia, sæpenumerò gravi aliis, intactus ac liber. Ceterum, quocunque accederet, multitudo confluebat tanta, ut profestos dies vix à festis dignosceres; hinc, ne quid eo nomine matutini temporis confessionibus eriperet, sacrum ferè rejiciebat in horam primam à meridie, ex privilegio concesso iis Nostrorum, qui Missiones obeunt. Intere à bis terve in die verba ad populum è loco altiori faciebat, Ecclesiastes idem, & Confessarius impiger in paucis; sed cum mentis ardori corporis vires minùs responderent, ad laborem minimè interruptum accedente inedia, eveniebat sæpè, ut ex suggesto, descendens, tantùm non collaberetur, cum pedibus niti non posset, nedum per confertam turbam ad domicilium se se recipere; ita, efferendus necessariò erat in brachiis. Sed neque id procedebat satis: ad necessariam relaxationem vix domum erat ingressus, cum irrumpebant eodem confertissimi, quorum confessiones nondum exceperat; ita, vix resumpto spiritu,

aut

aut in templum redibat, aut in cubiculo sedens, audiebat urgentes, alios ex aliis, sæpè ultrà mediam noctem; post, ubi unam aut alteram horam somno dederat, redibat in templum, expiandis reliquis.

Tantam verò opinionem sui longè lateque concitaverat, benignitatis potissimum nomine, ut tanquam ad commune peccatorum alylum confluerent passim omnes, non è vicinis locis modò, sed etiam ex remotioribus, leucas puta decem, duodecimve distitis, & quidem per ipsa juga montium, per frigidò tempore, quò aperire ipsi liceret arcanos mentium recessus, ac vicissim ex ejus ore verba vitæ æternæ excipere. Tancus quidem concursus erat accedentium, ut uno ex loco ad alium progrediens, toto itinere operam dare cogeretur confitentibus: repertique sunt, qui cum irrumpere ad ejus homologeterium (a) matutino tempore, quàm longum fuerat, nequissent, sex ipsas leucas jejuni confecerint, dum pio

C 5

ardori

(a) Sedes ad sacras confessiones excipiendas. *Beichte*
stul.

ardori satisfecissent. Indidemque eveniebat, ut uno eodemque tempore sollicitaretur certatim à diversis, suam ad parœciam adire ne gravaretur: quibus cum aliquando satisfacere minus posset, à Superioribus ad tempus revocatus; enimverò temperate nequibat à lacrymis, indicibus extremi studii prætermittendi neminem, si licuisset; sed parendum tamen erat: post, ubi se eis reddebat, enimverò tanquam Apostolus aut Angelus excipiebatur: tantumque imperium ipsi Dominus Deus largiebatur in eorum, ad quos adibat, animos, ut componeret perfacile dissidia, litesque, & nihil non extorqueret, etiam à contumacissimis. Si quis quid à quoquam acceperat injuriæ, non antè è loco discedebat Franciscus, quàm reum ad satisfaciendum perpulisset: & pauci erant, qui quæ à pio Sacerdote fuissent imperata, facere dærectarent. Si quando à dynastis opprimebantur homines rusticani, oppressorum causam suscipiebat acriter, tanquam pater filiorum: nec antè desistebat, quàm mentibus dynastarum eorundem omni obser.

observantiæ, demissionisque significatio-
ne delinitis, quidquid æquum censebat
impetrasset.

Fuit, cum Francisco Apostolica illa mun-
ia in Oxitanix pago quodam obeunte,
advenerint copix militares: pagani de
more in templum, tanquam in asylum
confugere, eodemque comportare quid-
quid alicujus pretii habebant. At homi-
nes quibus nulla fides, nullus sensus reli-
gionis, nihilo secius vim parabant ipsi sa-
cro loco: nec pepercissent utique illius
sanctitati, nisi præstò Franciscus fuisset,
iamque penè irrumpentes incredibili ar-
dore constantiaque repulisset. Neque sic
satisfactum sibi putavit: sed cum homi-
nes malo assueti, ab inferenda extrà
templum injuria minimè sibi tempera-
rent, adiit videlicet ad cohortium Præ-
fectos, perfecitque ut sua ipsi autoritate
militarem illam proterviam represserint.
Neque Orthodoxi modò, sed etiam hæ-
retici ejus incensa oratione flecteban-
tur: cum aliquando militare agmen ex
Calvinistis conflatum, alicubi in vicinia
improbè vexaret miseros rusticanos, ad

eos adiit, precatusque est modestissimè, ne quorum beneficio uterentur, alerenturque perhumaniter, in illos tam injurii existerent, ut tot egregiis officiis rependerent inhumanitatem; at homines protervi, non modò nihil deferre tam piæ orationi, sed contrà, molestum interpellatorem conjecis in caput cœpis abigere. At is, cui nisi ageretur filiorum suorum injuria, nihil potius fuisset, quàm contumeliam perpeti, non expostulaturus de injuria, sed causam oppressorum acturus, ad Præfectum, precaturque, uti suorum audaciam inhibeat. Is, vir utique de cetero moderatus, Patrem jubet ostendere sibi singillatim, qui ex toto agmine eò perulantia processissent, illis restim certam esse. At vir caritatis studiosior, quàm injuriæ ulciscendæ cupidior, de re cœta vir proffus: satis sibi esse prædicans, si in posterum iidem illi audaculi in officio se se continerent, desinerentque immerentes vexare, aut offendiculum ullum præbere iis, qui à se in Domino instituerentur.

§. IX. *Vitaratio in Collegiis.*

Sic ferè comparatum est: in urbibus vitia virtutesque magis quàm rure eminent: nam vitia quidem hîc contumaciora, ut ita dicam, & salutaris medicinæ in quibusdam vix patientia: eoque nomine magis invisâ Deo, quò minùs in officii ignorationem conferri possunt; virtutes autem excelsiori loco positæ, Christianæque absolutionis numeri omnes. Utrumque cùm animadverteret prudens Sacerdos, ita curas suas partiebatur, ut in utrumque assiduè excubaret, capitalia illa vitia profligando, exterminandoque; exaggeratioribus illis virtutibus tanquam exquisitissimis tabulis manum imponendo extremam.

Prioris generis occurrunt aliquot, tum viri, tum feminae, quorum pertinacia non nisi gravi Francisci labore expugnari se se passa est, hæreticorum præsertim. Et apud Montem-pessulanum quidem, deprecatorem se se adhibuit vehementem, incassum licet, pro ancilla Calvinistica, quæ inter captivos alios versabatur in carcere, ob-

furtum, cujus damnata jam erat. Cùm à se misera ignominiam illam quoquo modo depellere tentaret, spondet pio sollicitoque Catechistæ, si quidem paratam pœnam ejus opera effugeret, abjurata hæresi, Catholicam se deinceps fore. Intellexit vir jam rerum istarum experiens, egregium in speciem propositum, fortè ex metu proficisci: ubi virgarum periculum abscelisset, cetera infelici parùm curæ fore: ut tamen in re dubia partem tutiorem sequeretur, nihil non egit Franciscus tum apud Quæsitores capitales, tum apud herum miseræ, a se clam quoque Calvinii, uti reæ condonaretur pœna cum tanto conjuncta dedecore. Et expugnavit viri animum, atque ad eò Quæsitorem; qui ubi suo jure cedere viderunt eum qui propriè esset violatus, facillè adduci eò se passi sunt, spe præsertim de fontis salute proposita. Verùm, ea, ubi semel è carcere emissæ constitit, nihil ultrà superesse quod metueret, ad superiorum dierum promissa obfurdescens permansit in hæresi; Francisco interea gratulante sibi, quòd Babylonem si non sanavisset, curasset certè.

Feli-

Feliciùs in alia, hæretica item muliere laboravit: hæc cùm in Xenodochio civitatis ejusdem versaretur, simul egestate, simul morbo perdita, admisit haud gravatè benignum consolatorem: qui ubi penitentiùs in causam ingressus est, eò auscultantem adduxit, ut diceret se de conversione cogitaturam: sed cùm instaret fervidus Catechistes, tempus moram vix ferre, neque satis consultum esse, rejicere in tempus aliud, quæ statim eo in genere perfici aptè possint; ægrotam non antè dimisit, quàm serio ejuravit hæresim, atque adeò confessionem apud eundem ritè instituerit noxarum totius eam ad diem exactæ ætatis. Anicii verò patientia sua mercatorem sibi idcirco infestum, quòd ex vitiorum cœno, in quibus, Orthodoxus licet, volutabatur jam diu, emergere nolentem urgebat frequentiùs, flexit tandem. Multa in virum innocentem homo percitus dixerat, feceratque contumeliosè, quòd molestum interpellatorem abigeret: verùm, non modò non constantis Sacerdotis animum à se eâ viâ abalienavit; sed etiam inflammavit acriori quodam studio in semper-

piter-

piternam illius salutem incumbendi. Ergò ad eum adire identidem: consulto aliquid mercium, nec incommodo pretio, ex eo coëmere: cum eo communicare consilia sua de juvandis aliis; invitare ad aliquid de suo conferendum in egentes: hæc autem tanta comitate faciebat, ut iniquum illum suum mitigaverit paulatim; mox eò impulerit, quò volebat, ut se ipse respiceret, misereturque anime suæ, placens Deo. Ita, apud Franciscum ipsum confessionem instituit flagitiorum vitæ totius: & quæ fuit sapientis Medici ergà ægrum lenitudo, nihil aliud satisfactionis nomine imposuit, nisi recitationem Dominicæ orationis semel decurrendæ: ipse cetera in se suscepit, verberationem corporis quadragesies obiturum pollicitus: egregius utique Sancti Francisci Xaverii imitator, quem eo misericordiæ genere delectatum, Vitæ ejus acta produnt.

Ceterùm, illud sequebatur imprimis, ut Pauli Apostoli insistens vestigiis, omnibus omnia fieret, benignus in egentes, tenuissimo cuique indulgens, reverentse eorum, quorum dignitas major erat. Audiebat placidè

placidè eos, qui de rebus & minimi momenti eisdem, & molestis ad se referrent: pauperum rusticitatem ferebat lentè: neque succensebat parùm memoribus acceptorum à se beneficiorum: peccatores inveteratos excipiebat perhumanè, sic tamen, ut morem gerentibus propè blandiens, contumaces severissimè objurgaret; eos præsertim qui laqueum objiciebant virginum mulierumve pudicitiaë, quarum confessiones excipiebat, quasque dirigebat in spiritu: nam quàm sedato animo immotoque, injurias contumeliasque sibi propriè irrogatas excipiebat, tam vehementer ulciscatur, quoad ejus facere poterat, istiusmodi flagitiorum genus. Procacem quidem juvenem, jam monitum abstereret porro à nefaria interpellatione virginum quarundam, nec absterentem, sic acri demùm objurgatione à nefario consilio deterruit, ut ab infami incepto quantumlibet gravatè destiterit.

Magis mirum quod sequitur. Cùm circa pagum S. Salvatoris missionem Joanne Francisco obeunte, homo rusticanus par boum sub jugo ante se ageret cum aratro,

in

in milites item incidit, qui continuò aratrum bovesque rapuerunt. Attonitus infelix, ad Franciscum, precaturque gemens, interponeret se apud ductorem agminis, si quo modo flecti is se sineret ad injustam prædam restituendam: nisi boves recuperet, eversum se planè bonis esse. Flexit flebilis oratio pium pectus: ad ductorem agminis properat, precaturque quàm potuit enixè, caperet illum innocentis hominis misericordia, juberetque restitui quod iniquè ablatum esset. At homo minimè misericors, pernegare se facturum: jure belli usos suos: prospiceret sibi aliunde rusticanus. Quid hîc faceret pius miserorum pater? Cùm spes deinceps nulla ab hominibus affulgeret, recurrit ad Deum: mox ingenti concepta fiducia, ut ferè fit, dum exorari se sinit Dominus Deus, hominem appellans, *Tu verò, inquit, capito boves tuos, atque abigito: sic enim habeto, planè neminem prohibiturum.* Nec mora: properat rusticanus eò, quò abacti boves erant: cùm adhuc ex jugo aptos reperisset, abigit continuò, nemine prorsus mussante, nedum minas intentante, etiam si

iam si plures ex iisdem militibus adessent.

§. X. *Studium perditas mulieres ad frugem revocandi.*

SI ardor ille divinæ gloriæ promovendæ, quo pia Francisci mens æstuabat, alia omnia complectebatur; vigebar tamen præcipuè in perditis illis prostibulis Deo pudicitiaque restituendis, atque ad eò fœdæ libidinis imminuenda illecebra. Constat solitum eum, dum in Montis-pessulani Collegio versaretur, extrâ urbem progressum sæpius, miseris adire, dum in triviis alienæ saluti tendebant insidias, earumque complures sic incensâ oratione commovisse, ut horribilis instituti pertæfas, in civitatem reduxerit, tradideritque postmodum religiosis feminis alendas, dum opportunitatem nactus esset earum rationibus sic providendi, ut extrâ periculosam aleam, ætatem exigerent deinceps: ac multoties res cessit è sententia, iis quas lucrificerat, sic affectis, ut nunquam deinceps à colenda pudicitia discesserint. Quin etiam ad lustra ipsa se conferebat, ubi

ubi

ubi miseræ à lenonibus publicabantur, ac locis quidem nonnunquam minus frequentibus; quò ut adire sustineat vir Religiosus, corroborata quadam utique animi firmitudine opus est, vel quòd ut quisque castissimus est, ita maximè horret, vel ad lupanaris mentionem; vel quòd discrimina non pauca neque levia existunt tùm à petulantibus juvenibus, qui, non sine stomacho, atque adeò sæpenuerò non sine furore, extorqueri sibi flagitii copiam ferant; tùm à sceleratis lenonibus, qui turpi quæstu privari se se vix patiantur. Quæ tamen animo Franciscus reputabat identidem, tamen timorem vincebat non audacia, sed considerata mentis fortitudo, Deique ac proximi charitas. Itabat ad fœda gurgustia intrepidus, & ad perditas mulierculas sic perorabat, ut tametsi initio ferè ab eo refugiebant, seu horrore criminum, seu obstinata voluntate pergendi porrò in nefario consilio; cederent tamen ferè denique, atque ad sui Procreatoris obsequium reduci se se sinerent per salutarem pœnitentiam. Quâ in re non modò cum mulierculis ipsis, sed etiam cum vilissimis

fin
vic
mi
via

ad
me
re

pro
tar

di
de
cep

ho
ap
urg

gl
ant
set

rel
re f

liu
per
off

cep
abo

simis hominum, qui ex aliena pudicitia victum quæritant, morte utique dignissimi; suscipienda certamina plerunque gravia erant.

Fuit quidem, cum Deo fidens, ad ædes adiit nequissimi lenonis cujusdam, à quo meretriculam quotidie publicari compererat, ab eoque primum quidem infimis precibus flagitare institit, desineret porro tam indigno quæstu uti velle, miseramque dimittere ne gravaretur, matronis à se tradendam gravibus, à quibus pudicè deinceps vivere disceret; sed cum dissimularet homo fœdè vaser, negaretque se eum esse, apud quem vilia illa prostibula laterent, urgeretque nihilo seciùs Sacerdos divinæ gloriæ studio æstuans, ne negaret, sibi non antè satisfactum iri, quàm angulos lustrasset domûs omnes; invito altero ac propè reluctante, fecit quod tali in re ac tempore factum à Sanctis aliis, sacrorum Annalium monumenta produnt, hoc est, irrupit penè per vim in ædes, prædamque Deo offerendam sedulus venator investigavit, cepitque tam feliciter, ut volentem secum abduxerit, & impurissimo lenone eâ verborum

borum asperitate castigato, quâ par erat, relipiscentem mulierculam tradiderit matronis iis, quæ tam piæ Francisci sollicitudini favebant. Ut verò stabilis receptus esset, sub unum idemque rectum piorum liberalitate conductum inclusit plus viginti: iisdemque providit sic, ut nihil ad victum deesset. Atque hæc tam pia procuratio tenuisset utique diutiùs, nisi intercessisset quiddam, quod viro Religioso lacrymas non semel elicuit: sed cedere oportuit demùm, postquam se partes in omnes nequidquam versaverat. Aliquandiù tamen quod per se non potuit, perfecit per alios, tam laudabili exemplo incitatos: virgo quidem opulentior, ad septennium excepit, aluitque pœnitentes istiusmodi puellas ad decem, quindecim, viginti nonnunquam, donec eas Franciscus alias ex aliis nuptui tradi curaret: sic tamen, ut statim atque ex eo tanquam seminario pudicitiae aliquam eduxerat, sufficeret aliam: ac si ardor facultasve opulentæ illius virginis, Servi Dei votis respondisset, plures utique ex illis perditis subduxisset in tutum: sed quod dabat illa, accipiendum cum gratiarum actione fuit. Equi-

Equidem tantam in eo genere efficacitatem Francisci orationi tribuerat Dominus Deus, ut vix biduum efflueret, quin aliquam lucraretur: verum, quæ inolitæ ad flagitium consuetudinis vis est, vel potius rapacitas, quam facilè recta suadenti cedebant, tam ægrè postmodum, ubi serio luctandum cum præstigijs superiorum flagitiorum imaginibus erat, perstabant in sancto proposito. Sed nimirum fluctus hos sedabat P. Francisci præsentia: plus enim famulus Dei verbulo efficiebat plerunque, quam alii Ecclesiæ totis hortationibus, & oratione prolixissimâ. Neque verò cum iis tantum, quarum res agebatur, instituendum certamen erat fori athletæ: accedebant enim aliunde molestiæ sanè graves, ac penè quotidianæ, ab iis, qui ut sunt hominum iudicia, consilium tam salutare probabant tamen minùs. Ergo toleranda Francisco erant etiam amicorum propè convitia, sermones adversi eorum quibus id dolebat, & earum ipsarum seu virginum seu matronarum, quæ curam rei tam Deo acceptæ suscipiebant, ex pusilli animi diffidentiâ metus, ex metu

expoſtu-

expostulationes. Parùm quidem certè ab-
 fuit aliquoties, quin moderatrices, piæ ac
 religiosæ licet, alumnarum istiusmodi per-
 tæ læ morosam contumaciam, facessere
 porrò omnes juberent: sed eas confirma-
 bat in tempore vir sapiens: illud inculcans
 potissimùm, quod frequentissimè iterabat
 S. Ignarius, præclarissimè utique cum ipsis
 actum iri, si tot, tam gravibus, tam diutur-
 nis laboribus sumptuque tanto, illud asse-
 querentur, ut vel peccatum unum letale,
 hoc est, Domini Dei injuriam unam, at
 gravem inhiberent. Illa ipsa quæ majorem
 pœnitentium muliercularum numerum
 habebat domi, cùm aliquid offensusculæ
 ab uno aliquo è nostra Societate aut tulis-
 set, aut tulisse se se existimaret, ad Francis-
 cum aliquando adiit commotior, prospici-
 ceret porrò aliunde miseris meretriculis:
 certum sibi esse omnes, quotquot contine-
 bat domi, foras extrudere. Quam ad inter-
 minationem expavescens, ac penè hor-
 rens Franciscus, *Cave*, inquit *cave, faxis, filia*
mea: neque enim equum est, si quid injuriæ à
quoquam mortalium pertuleris, ejus tanquam
pœnas te à Deo ipso repetere: cumque adderet
virgo,

vir
 ser
 qui
 mag
 de
 Mi
 opp
 em
 Mi
 ire
 hor
 inc
 nes
 bat
 test
 in r

P
 r
 cul
 cul
 dea
 nos
 visu
 rint

virgo, irā æstuans, furto quotidiano à miseris illis expilari reculas suas, Oculos, inquit Franciscus, *intendito paulisper in hanc imaginem: (erat hæc Christi è Cruce pendentis) an non vides Christum Iesum nudum? Mihi crede, nihil potest nobis ad gloriam accidere opportunius, quàm si ipsi nudi quoque in sinetio emoriamur.* Ceterùm, quocumque vocarent Missiones Apostolicæ, antequam iter iniret, ad eas salutarum adibat, ac brevi cohortatione, ut temporum ratio se dabat, incitabat ad Christiani officii partes omnes ritè obeundas. Quin etiam literas dabat identidem ad Moderatricem earum, testes studii sui, curæque vel præcipuæ, quâ in res earum invigilabat.

§. XI. *Obitus, ejusdemque denuntiatio.*

PERpendenti quæ quantaque fidelis famulus ad Domini sui obsequium decusque moliebatur & peragebat, ultrâ seculum totum proroganda ei fuisse vita videatur mortalis: sed enim summo rerum nostrarum Arbitro & Moderatori aliter visum: ac fortè peccata nostra id effecerint, ut citiùs subducerentur nobis tam

D

præ-

præstantia illa exempla virtutum. Ac quod ad illum quidem attinet, ut mors illius non parùm communi ætatis hominum termino anteverterit; non tamen ei accidit improvisa: longè antè, quantum quidem æstimare possumus, de illius die certior factus fuerat. Id adeò compertum inde, quòd paulò ante Natalitias Christi ferias, jam tres quatuorve menses rure versatus, ultrò inexpectatus adfuit in villa Collegii Aniciensis, quò cum aliis Nostrorum, Sacerdotes aliquot convenisse conjecerat, quo die ibidem honestæ relaxationi animorum operam dari ab studentibus potissimum, de more Societatis nôrat. Nec eum fefellit opinio: quos quærebat, reperit, unum præ ceteris, cui secundùm mutuam salutationem, seducto paululùm, aperuit, adesse se, etiam iaterruptis tantisper inchoatæ Missionis occupationibus, uti se se ad exitum è vitâ serò compararet: idcirco, constitutum sibi esse triduum totum subducere se se familiari consuetudini Nostrorum, sibi que propriè dare operam in secessu, instituendæ Confessionum noxarum ætatistorius: eam ipse excipere

ne

ne gravaretur, dum opportunum foret: interesse utique suâ plurimum, eam quam diligentissimè à se obiri: postremam enim fore, sibi esse persuasissimum. Attonitus eâ denunciatione is quem compellabar, Sacerdos, multa ille quidem animo versare, ut in re minimè expectatâ: dissimulans tamen prudenter, Tu verò, inquit, ut voles, Pater: præstò ero dum lubebit: eam quidem ad rem aptiorem è nostro numero adhuc bene faciliè queas, fideiorem vix ullum. Cùm egisset Franciscus gratias, Ergo, inquit, sinamus alios antegredi: malim non nisi sub noctem ad Collegium pervenire, ne ab externis, si quidem me adesse animadvertent, intempestivè interpellent. Cùm alter annuisset, res Francisco successit ex animi sententia: nemine externorum conscio, latuit intrâ Collegium, atque adeò penè triduum illud quod sibi depoposcerat, exegit in cubiculo solus: perque sanctum otium recognitis totius vitæ rationibus, Confessionem ut constituerat, apud illum eundem Sacerdotem instituit, mente sic affectus, ut eum jam tum spreta terræ humilitate ad cæli ardua toto cordis impetu niti faciliè intelligeres.

D 2

Secun-

Secundùm homologesim, collocutus cum eo aliquandiu Confessarius, cùm inter cetera dissimulanter quæsiisset, quandònam ad Missionis labores esset rediturus? *Cras*, inquit, omninò: *cras eò unde veni, redeam oportet*. Atqui, excepit Confessarius, *Votorum, ut tute vides, instat Renovatio: commodiùs præstolere, dùm peracta illa sit. Minimè verò*, inquit Franciscus: *neque enim finit Magister. Magister? inquit Sacerdos alter, quid ais? contra, exploratissimum mihi est, nihil te facere posse in præsens P. Rectori acceptius, quam si hic ad exiguum illud intervallum temporis substitueris. Et Franciscus perstans in dicto, Minimè verò, inquit, minimè finit Magister: planè vult die crastinâ proficiscar. Haud igitur ad multos dies, suscipit Confessarius; ad eam lucem quam dico, redieris. Atque hîc Franciscus, nihil jam tergiversans, Ego verò haud adero, inquit: *aderit socius meus. Urget alter, opponitque, Nequaquam ipsum ex decoro facturum, si misso ad Collegium socio, solus ipse rure remaneret; rem eam incursum in aliorum sermones, atque adeò in censuram Superiorum. At Franciscus nihil motus amici Sacerdotis denunciatione, Ta-**

men,

men, inquit, sic prorsus futurum est: aderit socius, ipse non adero; idque ipsum tertium inculcavit. Et evenit planè id quod prædixerat Vates veridicus: ante eam diem obiit. Ergo nihil dubitans, quin dies extrema immineret, postquam negotiis quibusdam providerat, quæ pendentia habebat in manibus, æsque alienum aliquantum dissolverat, egenorum causa contractum; tanquam Moses ad locum, in quo erat jubente Deo emoriturus, sic ipse ad locum ubi finem in terris vivendi facturus erat, tranquillo placidoque animo profectus est postridiè. Per asperrimum frigus, quale sævire iis in montibus solet, emensus iter, pridie pervigili Natalis Domini pervenit ad pagum sanè infrequentem, paucis iis vel indigenis vel incolis, tunc quidem parùm humanis erga servum Dei. Nemo fuit qui rectum offerret, nedum ignem: ita coactus est pernoctare in corte undique perviâ, atque adeò propositâ ventorum irruentium flatibus, gratulante sibi servo Dei, idem sibi contingere, quod Christo Jesu in terras primùm venienti contigerat, Bethleemico in stabulo: quo quidem habitu

D 3

nullus

nullus aptior ad persentiscendum quid ipse rerum Dominus servulorum causa pertulerit, atque ad motus eosdem ingenerandos subinde in eorum mentibus, qui pro concione audituri essent de tam amabili mysterio disputantem. Sed nihilo seciùs inimica vis frigorum sic Francisci valetudinem afflixit, ut inde morbum contraxerit letalem.

Peripneumonia (a) fuit tam atrox, ut postridie gravissimis vexari ceperit doloribus: ac nisi ardor juvandarum animarum incensissimus generosum illud pectus depasceret, planè cogitationem cepisset potius de vi morbi levandâ, quàm de laborioso ministerio confessiones audiendâ: ut ad miraculum accedere videatur, quòd susceptum pensum nihil prorsus intermitteus, nihil minuens, vesperum pervigilii Nativitatis excipiendis confessionibus cum sequenti nocte ac die postero continuârit; & quod magis mirere, intrâ idem illud intervallum temporis sexies septiesve verba ad populum fecerit de loco superiore. Tandem tamen cedere coëgit morbi gravitas: cùm lateris dolor vehemens

(a) *Exulceratio pulmonis. Lungensucht.*

mens vocem propè intercluderet, ex Æde facta recepit se in vicinas Parochi ædes, ad ignemque assidens, quò dolor paulò tolerabilior fieret, audiit nihilo seciùs eos, qui è Templo excedentem secuti ad instituendam homologesim fuerant. Tum, ubi cunctis satisfecerat, decubuit demùm: luctatusque cum morbo sex dies, in assiduís virtutum omnium documentis, atque exercitatione sanè ardua, Sacramentis piè & religiosè susceptis, animam Deo reddidit, extremo die anni quadragesimi suprà millesimum sexcentésimum à Christo nato, ætatis quarto & quadragesimo, inixæ Societatis sexto & viceésimo.

Obiit in pago, obscuro ad eum diem; dum hæc scribimus, per illustri, ob res mirabiles quæ ad beati Viri tumulum fiunt quotidie, (Lalouesc vulgò vocant) in Viennensi Diocesi. Antequàm tumulo conderetur, vocatum in deliberationem est, deferendumne corpus esset ad aliquod Collegiorum nostrorum è vicinioribus, an eo loco relinquendum? ac tametsi eò allatæ rationes ferebant, ut nequaquam tanti pretii depositum illic relinqueretur,

factum tamen aliter, divinâ providentiâ, quò videlicet mirabilis ille concursus ad illustrem tumulum, ascriberetur uni curæ optimi benignissimique Domini ergâ famulum suum, & singulari illi opinioni sanctitatis, quam jam tum studium illud Apostolicum juvandarum animarum beato Viro pepererat. Ergo Lalouesci (sic enim pagum vocabimus deinceps, Latina flexione) sepultus est Joannes Franciscus Regis, & eâ pompâ scilicet, quæ in loco adhuc infrequenti, neque plures numerante domos, quàm tres aut quatuor, potuit à rusticanis hominibus pauculis accurari. Mausoleum tunc quidem aggesta gleba fuit: post, sensim plus honoris deferri ceptum seruo Dei, in illâ rerum profus omnium destitutione, quàm Regum tumulis, ex incredibili illâ frequentia hominum undique confluentium, de quâ suo loco deinceps.

PARS

PARS SECUNDA.
 VIRTUTES JOANNIS
 FRANCISCI REGIS.

§. I. *Sensus rerum divinarum.*

ETſi ex ea tanquam radice extiterunt alia omnia facta dictaque Francisci, ad illustrem illam virtutem pertinentia, hoc est, ex intimo quodam sensu rerum divinarum: quoniam tamen commodius ad usum legentium traducentur tam præclara documenta rectè factorum omnis generis, si in certa capita distribuentur; seclusis aliis omnibus, ea tantùm proponemus hîc quæ propriè ad suaves illos sensus de Deo rebusque divinis pertinent, quò virtus hæc aptè distinguatur ab aliis. Ergo quicumque penitiùs in ejus vitam destinato consilio inspexerunt, testificantur, quicquid tandem externarum occupationum haberet Franciscus in manibus, nunquam tamen non animo collecto fuisse, & in Deum inveniendi: assidueque fuisse id ipsi propositum, ut supremæ Majestati place-

D 5

ret.

ret. Gestus, incessus, frons, habitus totus corporis spirabat nescio quid, quod ardorem mentis proderet, cogitationemque de Deo ac rebus cælestibus ne ad momentum quidem interruptam. Id adeò enitebat illustrius in casibus repentinis, rebûlque adversis, quæ tanquam incautum ex improviso excipiebant: tunc enim, ut testantur ii, qui familiarius cum eo versati sunt, sic sui compos semper erat, ut nihil ex illo pectore erumperet, ne ad primos quidem occurfus, minùs moderatum: quod profectò satis indicat, & mentem Francisci colustratam semper cælesti luce quâdam, & voluntatem corroboratam cælesti item præsidio fuisse: quo ex utroque capite efficiebatur, ut cum continenter, qui tales sunt, adhærescant Deo; nihil ferè peccaret in terris, imitatus beatissimum statum illorum, qui jam in cælo Deo intimè cognito, eodem, & summè dilecto fruuntur. Indidem illa vultus totius compositio, tam in Deum rapax, ut quisquis eum aspectaret, illicò intus exardesceret in animo: ut affirmarint plurimi, unum Francisci obtutum plus apud se in eo genere valuisse, quàm
vel

vel incensissimam orationem Ecclesiastæ
cujuscujus. Quoties autem sermonem de
Deo faciebat ipse, seu ex loco superiore,
seu in consuetudine familiari, sic afficieba-
tur, ut quam suavitatem cum vehementi
ardore conjunctam in se persentiscebatur,
eandem perfacile in audientium mentibus
ingeneraret. Certè cum aliquando Pro-
vincialis Collegium Aniciense ex officio
visitans, consultò auditum iisset Christianæ
doctrinæ præcepta tradentem; continere
se nequit, quin funderet lacrimas: socium-
que compellans, *Nunc verò, inquit, desino mi-
rari, fructus à nostro Catechistâ referri tam ube-
res: ego quidem si hîc degerem, occasionem nul-
lam prætermitterem illum audiendi, vel si iter leu-
carum quatuor emetiendum esset. Quæ tanta
approbatio hoc profectò illustrior est,
quò major fuit gravitas approbantis: fuit
enim is P. Joannes Filleau, vir, omnium
consensu, acerrimi judicii. Divinum Offi-
cium semper recitabat flexo genu, nisi si
iter agebat: noctu autem, postquam horas
aliquot somno dederat, tempus reliquum
orando meditandòque ducebat. Quàm
suaviter aduersus sacrosanctam Eucharis-
tiam*

stiam esset affectus, explicari vix queat. Pa-
 gus est in Alvernistàm frigore infamis, ut
 idcirco *S. Boniti Frigidi* appelletur. Ibi loci
 dum Franciscus Missionem obiret hieme,
 pro *Ædis sacræ* foribus parté noctis haud
 modicam exigebat: quod cum Parochus
 prehendisset, *En tibi, inquit, Pater, claves
 Ecclesiæ: subi sanè intrò, dum lubebit:* quam hu-
 manitatis significationem gratanter Fran-
 ciscus excipiens, illa usus est deinceps,
 summo suo gaudio, ibidémque noctes
 exegit penè totas, nunc flexis genibus,
 nunc stans, nunc pronus in vultù, si quan-
 do somnum carpere cogebat necessitas. Ex
 eodemque fonte manavit gaudium illud,
 quo perfulum eum diximus tùm, cùm
 quasi extrà ordinem promotus ad Sacer-
 dotium est. In itineribus, nihil tàm refor-
 midabat, quàm ne uspiam faciendí Sacri
 deesset opportunitas: quare, in id invigi-
 labat sedulò, ut obices omnes per rumpe-
 ret istius generis, nunc antevendo, nunc
 locos declinando suspectos, ut ita dicam:
 uno verbo, in id, ut observatum à comiti-
 bus est, totam industriam suam confere-
 bat, ut sacrificaret quotidie: id ubi post
 gra-

gravioreſ difficultateſ ſuperataſ aſſecutus fuerat, quod eveniebat identidem, enim- verò geſtiebat animo, ad eum propè modum, agebant focii, quo qui theſaurum invenere. Matrem Dei impenſè venerabatur, eandemque venerationem aliorum imprimebat mentibus: ego quidem præclare memini, me, dum adoleſcentulus tam pio Magiſtro operam dabam, jam tùm deprehendiſſe ſtudium illud in eo ſummum. Nam tam frequenter de illius cultu apud nos agebat, tamque ardenti oratione modos tradebat varios ac multipliceſ colendæ illius, ut cùm ad præcepta ardorem eximium vocis geſtusque adjungeret, cedendum planè eſſet. Multus item erat in ingeneranda noſtris in mentibus obſervantia ergà S. Angelum Cuſtodem, & verbis ſcilicet iis, unde facile agnoſceres ipſum Cuſtodis ſui colendi ſtudioſiſſimum eſſe. Porro ſuaveſ illoſ de DEO ſenſuſ occulebat induſtriè, fugiebatque conſulto quicquid in hoc genere incurrere tolet in oculos: quanquam haud ſic ſemper temperare ſibi poterat, quin identidem gemituſ ſuſpiria-

que erumperent. Certè cum aliquando in scholâ modum nobis traderet, actus Contritionis, quem vocamus, exercendi, prorupit ipse in lacrimas tam uberes, ut nos mirum in modum commoveret.

§. II. *Humilitas.*

VT latendi studium Francisci, pleraque nobis suffuratum sit documenta virtutis istius, non tamen omnia potuit voluntaria illa caligine involuere. Equidem id sequebatur per studiosè, ut munera, beneficentiamque Dei erga se occuleret: consultoque vultum semper hilarem præferebat, ut ne quidpiam suprâ alios aut esse, aut habere videretur. Contrâ, exultabat animo, quoties se deridiculo cernebat esse aliis: quin, ult: ò se ipse ridendum præbebat: tumque singulariter oblectabatur, cum aliquid fecerat, dixeratve, vnde proponeretur eorum quibuscum versabatur, scommatis: quod cum incidebat, non modò non interrompebat sermonem, trahebatve aliò, quod ferè homines plusculum sui amantes facere solent, sed contrâ, frigida quædam proloquebatur, quò diutius
sui

sui contempione frueretur. Fuit, cum per asperissimum frigus facultatem à Superiore petierit verberandi sui in triclinio; & annuente Superiore, sic, ut vestem non poneret, sed per togam verberaret sanè humeros quantum vellet: conditionem accepit Franciscus, in omniumque discubentium oculis prodit in medium; &, ut erat planè vestitus, flagello è funiculis tota lacertorum vi verberat humeros, lætusque ac volens hausit ruborem totum, qui non potuit non esse multus: & tamen ætate tunc quadragenarius erat, dignitate sacerdos. Unde singulari cuidam divini Numinis providentiæ tribuendum meritò videtur, servum suum eadem amoris significatione prosequentis, quàm Filium ipsum dignatus est, ut non modò assiduè Franciscus externorum sannis patuerit, non licentiorum dumtaxat, sed etiam Superioribus Societatis minùs probarentur eorum pleraque, quæ vir Dei ad Domini sui decus, utilitatemque proximorum suscipiebat. Ergo cum frequenter ab eis insimularetur imprudentiæ, nonnunquam etiam objurgaretur asperius; quæ objiciebantur, demissis

missis

missis luminibus audiebat, vultu placido, ac minimè perturbato: nihil excusare, nihil contrà afferre solitus, quantumlibet à vero aliena essent ea, quorum accusabatur, nisi si inde remoram objici videbat studio juvandarum animarum suo: tunc enim purgabat sese quam modestissimè: ut facile intelligeres, non id eum facere studio lædendi cujusquam, sed eo tantum consilio, ut liceret porrò benè cœpta promovere, aut quæ salutariter facienda proponebantur, suscipere. Atque id constantissimè tenuit non modò junior, sed etiam toto deinceps ætatis tempore. Neque modò Moderatorum seu monita, seu objurgationes ferebat placidè, sed eorum etiam, quibus jus nullum in se erat: quod cum Sacerdos amicus è Societate admiraretur vehementer, constituit, ut narravit deinde ipse mihi, experiri, quam tandem ad absolutionem Francisci virtus hoc in genere pervenisset. Ergo aliquando, secundùm prandium, consuetæ relaxationis tempore seducit hominem: carpit severius ejus facta, dictaque suspecta sibi videri eorum pleraque, in quibus operam ponebat,

& tem-

& tempus: sensum eundem esse plurimorum è Nostris: enumerat plurima, quæ vulgò in illo reprehenderentur: hæc illaque de illo jactari: uno verbo, nihil non ad probrum objicit, quod quandam verisimilitudinem haberet. Verùm, Franciscum nihil commovit tam gravis quasi petitio: modestè pacateque objurgationem sanè asperam tulit ad extremum usque, sic, ut ne verbulo quidem orationem interruperit minimè utique vulgò jucundam, atque eò minus per se ferendam, quod objurgatori jus nullum imperiumve, in eum quem objurgabat. Quanquam minus id quidem mirum in eo, qui talibus assueverat jamdiù, atque adeò unicè delectabatur: illud toto studiorum tempore propositum ipsi fuit, haud imitandum fortè, certè mirandum, qualia pleraque, Sanctorum nobis Vitæ suppeditant, ut contemptio- nem sui in aliorum mentibus ingeneraret. In sermone familiari, atque adeò in domesticis Concionibus consultò peccabat quædam, nec levia quandoque, seu pronunciationem spectares, seu structuram collocationemque verborum, unde aut
ineru-

ineruditus haberetur, aut hebes: ac si quando ea emendare juberetur, ut eveniebat identidem, tum item consilio emendationem simulans, peccabat alia denuò: quam artem virtutis cum non nisi pauci dispicerent, quibus erant adolescentis doctores perspectæ, enimverò id assequebatur quod concupiscebat, ut penè pro deridiculo esset æqualibus: quorum quidem ex numero si qui per affectatam gravitatem ipsum insimularent, quasi quidpiam dixisset, fecissetve aut contrà decorum, aut contra leges Religionis; ad ea Franciscus nihil excusare, sed cum aliis ridere, humerisque, ut sit, aut contractis, aut leviter sublatis, culpam agnoscere, cujus utique minimè esset affinis, maximè si quid affingeretur tanquam factum clam ab eo, quasi malus custos officii dum solus esset, tamen hypocritarum in morem virtutis opinionem sequeretur. Certè cum è sociis quispian, & contubernalis scilicet, domi inter familiares astanti Francisco objecisset motum in compositum corporis, curvare humeros, eorumque alterum attollere, alterum deprimere, rogam haud decorè gestare,

stare, ac qui in eum intuerentur, facilè sibi persuadere, ipsum ferre hiemem humeris; tantum abfuit ut acri monitori succenseret, ut potiùs gaudii significationem præ se ferens, ac propè gestiens à Superioribus facultatem extorsit incusandi se se super mentem de iis omnibus, quasi sic prorsus res haberet.

Indidem originem trahebat fortis animi æquitas illa tanta, ut planè aptus ex divinæ providentiæ nutu, nihil calumnia moveretur, ne in rebus quidem gravioribus. Certior quidem factus aliquando à socio iter cum eo peragente, fore ut à Superioribus reprehenderetur certâ de re, nec levis momenti, unde turbæ extiterant; nihil respondit aliud, nisi se rem totam Deo committere: ac tamen habebat exploratum, illum ipsum, qui ista memoria bat, se ut gesta esset probè nosse; tamen ne verbulo quidem precatus est, ut cum nihil hic à se peccatum sciret, innocentiam suam apud Superiores tueretur. Quo in genere non semel fidelem famulum probavit Deus; credo, quò exempla crebriora extarent tam celsæ demissionis animi: subit-
que

que nonnunquam mirari, qui tandem fieri tam frequenter potuerit, ut Superiores Societatis, viri utique & probi & sapientes, non semel hic sibi imponi passi sint: constat siquidem eos identidem plus fidei habuisse aut delationibus justo fundamento penè carentibus, aut suspicionibus levioribus quibusdam, aut expostulationibus parùm æquis, quam ferret viri prudentia, sanctimoniaque: ut diceres illos Francisci facta improbare carpereque potius ex studio cavendi, ne quid ab eo temerè fieret, quam ex ullo vestigio temeritatis in illo deprehensæ. Hæc autem quoties inciderunt, semper sibi præclarè constitit servus Dei: nam neque similitatis quidquam unquam exercuit cum iis, quorum parum consideratis oblocutionibus norat Superiores si non à se ab alienatos fuisse, certè cepisse sentire de se minus commodè: neque vel verbulo causam suam defendit apud Superiores eosdem, nisi dum videbat luce meridianâ clariùs, suo silentio Dei gloriam utilitatesve animarum imminutum iri.

Quod si calumniam ferebat tam lentè,
locus

locus nullus dubitandi relinquitur, quin pacatissimo animo ferret admoneri se de iis, in quibus à se peccatum nonnihil fuisse, sibi persuadebat: tantùm enim aberat ut succenseret monitoribus, delatoribusve, ut potius tunc omnibus incesset lætitiis, collocaretque in numero eorum, à quibus beneficii aliquid accepisset, eos qui monitorum acceptâ personâ, hæc illave sibi minùs probari profiterentur. Id adeò exemplo sanè illustri comprobari potest, cujus auctorem habeo illum ipsum, qui rei gestæ pars magna fuit. Ego, aiebat, cum P. Francisco attributus socius essem, adhuc junior, & à tyrocinio recens, dum is Missionem obibat Sommerii in oppido Oxitaniæ, persuadere illi conatus sum, ut certa die, quâ maior convenientium ex variis locis frequentia futura erat, aliquid ad concionem afferret meditatam, elaboratumque solito magis. Cum ad eam invitationem obsurdesceret, quod diceret vix satis inter se copulari posse Evangelicam simplicitatem, & affectatam illam pompam verborum, quæ persuasioni obsit magis, quam profit; institi contrâ, opposuique remittendum

tendum nonnunquam aliquid esse de istâ
 severitate, dandumque aliquid imbecilli-
 tati hominum : si qua oratio splendet
 istiusmodi ornamentis, non eam continuo
 ab Apostolicâ regulâ discedere : ut non
 gravatè audiat ab adstantibus, miscen-
 dum quandoque dulce utili. *His argumentis,*
addebat, hominem expugnari denique, aliorum
judicium haud difficillimè antepone solitum suo;
studiosius solito elaboravit ea, quæ proximè erat
ad concionem allaturus, & scilicet præclare satis-
fecit omnibus. Ubi dimissa concio erat, domi-
 seorsim rogat me, ut quandoquidem fece-
 rat quod monueram, ipse vicissim ne par-
 cerem significare, quid eâ in oratione ob-
 servavissem emendatione dignum, quò in
 posterum caveret? se optimam in partem
 accepturum quicquid suggessissem. Hæc
 verò vultu tam hilari, tamque serenâ fron-
 te dicebat, ut nihil dubitans quin ex animo
 loqueretur, audenter sanè, atque adeò, ut
 deinde agnovi, nec sine rubore, præfractâ
 quadam licentiâ effudi quicquid venit in
 mentem: carpsi vocem, gestum, elocutio-
 nem, nexum orationis, argumenta ratio-
 nesque allatas: uno verbo, errata æquè si
 qua

qua inerat, & virtutes. Tenuit aspera admonitio dimidiam ipsam horam: quo toto intervallo pius Sacerdos egregiè compos sui, vultu semper ad benignitatem composito, ne verbulo quidem interrupit orationem liberio rem, aut objecta refellens, ut potuit perfacilè, aut rationem reddens eorum, quæ attulisset: illud tantùm observavi ipsum leviter erubuisse, vultu producente, quæ premebat animus: utque nihil ad modestissimæ mentis demissionem deesset, ubi loqui desieram, hortatus ultò me est, pergetem porrò, adderemque si quid animadvertissem prætereà. At ego ut quam personam inconsultè susceperam, ad extremum usque retinerem; *Hac, inquam, in præsens sufficiunt: neque opera pretium addere plura, prius quàm hac, aut eorum certè pars fuerit emendata.* Quæ cum aliquanto post mente & cogitatione revolverem, propè expavescens, miratusque vehementer, qui tam parum memor fuisset officii, qui tam protervè servum Dei habuissem; factum excusavi, ut debui, petiique ab illo veniam: verùm, vii Dei sermonem abrumpeus, subrisit, perque sanctam dissimulationem,

tionem, *Non est, inquit, cur te facti poeniteat: in beneficii loco pono, quod me tam sincere commoneficeris erratorum.*

Hinc facile assequi quisque potest, quantoperè Franciscus abhorreret ab omni existimatione in vulgus, & ab aura populari. Fugitavit perpetuò virorum primariorum ædes: neque ad tales adibat unquam, nisi charitas cogeret, & animarum rationes: cum rusticanis hominibus longè libentiùs versabatur: eorum in familiaritatem se se insinuabat, eos instituebat peramanter, illorum excipiebat confessiones: longè dissimillimè (inquit Scriptor Gallicus) instituto eorum, quibus tolerabilius esset vesci locustis, camelorumque pelibus ad vestitum uti, cum S. Ioanne Baptistâ, quàm cum eodem, verbum Dei in eremo prædicare. Nec magis delectabatur turbâ feminarum in serico, luxuque cetero vestis, homologeterium obsidentium: cupidius adibat ad nosocomia, publicasque custodias: iis in locis versabatur frequens, in pædore & squalore hilarior, quàm illi aularum asseclæ in plausu adulatorum inani: miserorum autem illorum,
qui

qui vulgò pro fæce , proque quisquiliis
mortalium habentur tam observans erat,
ut ea comitas facilè mentes quamlibet
contumaces flecteret. Audivi quidem cer-
tè de plerisque fide dignissimis , servum
Dei cum perditis mulieribus, quas è cœno
extractas volebat, tantâ honoris significa-
tione loqui solitum, quantâ propè egisset
cum matronis honestissimis: adeò in tem-
pore demittere se se norat, dùm quod ad
Domini Dei gloriam utilitatemque anima-
rum sequebatur, assequeretur. Quid mi-
rum igitur, si qui tantum tribuebat abje-
ctissimis propudis humani generis, fratres
coleret suos? Erat illius familiaris consue-
tudo læta, ac minimè morosa, & nativâ
quadam simplicitate suavis: anteponere
se nemini, cedebat omnibus, ac si quando,
ut fit in familiari collocactione, extolle-
bantur facta dictave æqualium, sic, ut sal-
tem oblique res in contemptionem illius
cederet, tum verò tantam præ se ferebat
significationem gaudii, quantam homines
laudis cupidissimi solent, dum magnificè
de se prædicari audiunt. Porrò in vilissimâ
opinionem sui cum placidissime acquiesce-
ret,

E

ret,

ret, neque de studiorum successu, neque de re ullâ aliâ earum, unde nominis splendor existit, sollicitus erat ullo modo: cum præsertim usu ipso didicisset, nihil magis valere ad impetrandam à Domino Deo vim animas reducendi ad frugem, quàm egregiam despicientiam sui: atque ideirco ad Missiones proficiscens, semper à suo Confessario flexo genu flagitabat, sibi ut benediceret.

§. III. Obedientia.

AMbigit nemo credo, quin cujus in mente tam altas radices egisset religiosa demissio, is Deo Deique causa Superioribus planè morem gereret. Horum ex arbitrio sic pendeat, ut ad nutum vel verbum nihil non susciperet, nihil non deserere inchoatum: quod potterius longè difficilius faciebat nonnunquam Obedientie pugna, ut ita dicam, cum zelo animarum. Eo zelo cum æstualet servus Dei, eveniebat identidem, ut à Moderatoribus deserere juberetur præclarè cœpta, cursuque interrompere rerum earum, è quibus fructum non mediocrem exiturum

Fran-

Franciscus tantum non intruebatur: sed cedebat tamen, at non sine lacrymis, quas uberes quandoque profundeabat, dum videbat incidi derepente spes suas, & albescentem messem prope evanescere in oculis. Pro documento sit, quod cum perditas mulierculas complures certum in locum inclusisset, à flagitio, flagitiique occasionibus subductas, piorumque opibus & præsiidiis ibidem eas mensibus ipsis octo aluisset; jussere Superiores justis de causis, Franciscum ab eâ procuratione discedere, neque ultra iis adesse, nisi quempiam nancisceretur, Virum magnæ auctoritatis, qui earundem alendarum curam in se susciperet. Quid non tandem egit, vir animarum lucrandarum cupidissimus, ut talem reperiret? Ire, redire, cursitare per amicorum domos, aliorum operam interponere: sed incassum, absurdescentibus cunctis. Ita discessit à pio instituto: verum, tanto cum sensu doloris, ut fleret ubertim, suspiriaque ederet, jacturam tot animarum lugens, quæ penè ex portu in altum abripiiebantur denuò, naufragium fortè factura: nihil tamen questus est de Superioribus,

rioribus, neque verbum ullum fecit, quo improbare eorum consilium videri posset. In aliis omnibus occupationibus, pacatâ semper, quietaque mente ad omnia comparatum videres: quippe non rerum in quibus versabatur naturam aut genus, sed Domini Dei voluntatem ubique intuebatur, in eaque suavissimè acquiescebat. Illud sane permirum videri possit, virum tam incensum non semel è medio cursu concionum, Missionumve revocatum de repente, & ad docendam Grammaticam traductum, nihil tamen exoptulasse, neque quidquam fuisse prolocutum contra. Creditâ in scholâ continebat se se silens: angustoque illo in gyro ardorem inclusum continebat, cui vix orbis totus par esset. Quòd si incidebat aliquando, ut aliquid cogitationi occurreret adversus ea, quæ facienda proponebantur à Superioribus, aperiebat ille quidem sensum animi sui: verùm ita, ut potius satisfacere Regulæ id præscribenti, quàm ut imperium detrectare velle videretur: acquiescebat siquidem continuò: ac, seu haberetur ratio eorum, quæ afferebat, seu non haberetur, perinde

perinde vultu placido excipiebat quæ staturiebantur, ad eaque explenda pergebat, nec invitus, nec quidquam opponens prætereà: tanta interim observantiæ significatione, ut facile intelligeres alte hæere in candido pectore, quod inter cetera præscriptum à Sancto Fundatore habemus, ut in Prælato quolibet agnoscamus Deum. Quare nullas unquam moras nec tebat, si quid ex improvviso, ut fit nonnunquam, mandabant Moderatores iidem, quod celeritate indigeret: accurrebat continuo quò vocabatur, etiam interrupto cursu Confessionis, si quam audire ceperat.

Neque modò sic se adhibebat erga Superiores spirantes ac vivos, sed etiam rigidissimus observator erat Regularum, quibus Religiosa disciplina continetur. Quæ opinio cum progrediente die de eo perciperebisset, fuere, qui consulto sanctam illam propositi tenacitatem exploraturi, nullam non in partem fortem illam mentem versaverint, atq; adeò prope laccessiverint, si quo modo constantiam illam possent infringere: sed nihil nisi admirationem ac propè stuporem retulerunt, Fran-

cisco semper sibi egregiè constante, neque
usquam, quæcunque tandem illecebra
p oponeretur, vacillante. Quibus horis
filere Regula jubet, ne verbulum quidem
ab eo extorqueres, nisi aut cogeret neces-
sitas, aut copia ab aliquo Superiorum fie-
ret: ac quandiu teneri se intellexit Regulâ
Latinè loquendi, hoc est, toto decursu stu-
diorum; quibus locis ac temporibus ver-
nacule loqui non licet, semper Latine sen-
sa mentis extulit, & tam severe quidem, ut
si se domum ex urbe recipiens, verba face-
re vernaculè de re aliqua cepisset, ubi pri-
mum pedem in ædes intulerat, eadem, si
opus foret, Latine persequeretur, nihil
pensi habens, quid de se alii aut opinaturi
essent, aut dicturi. Quod quidem si cui le-
vius videbitur, quam ut inter documenta
præclara virtutum numerari possit aut de-
beat; agnoscant tamen ii, qui scientia San-
ctorum præditi sunt, hoc est, gnari, expe-
rientesque vitæ asceticæ, in istiusmodi de-
mum institutis elucere summam quandam
absolutionem officii: cum qui fidelis sit in
minimo, de eo, ex oraculo veritatis, ambi-
gi nequeat, quin in maximo quoque fu-
turus sit.

§. I V.

§. IV. *Castimonia, integritasque mentis
& corporis.*

Semper paret caro spiritui, dum spiritus
paret Deo: neque facile viam ullam
apriorem invenias jugo legis membrorum
excutiendo, quam si ex nutu Superiorum
totus aptus fueris. Illud in se mirabilem in
modum expertus Franciscus est: nec dubi-
to, quin si fœda rebellantium motuum cor-
poris perturbatione caruit perpetuò, tan-
tum, tamque expetendum Dei munus ex-
actissimæ illi, quam persecuti sumus, obe-
dientiæ erga superiores, adscribendum sit.
Ergo eo in genere tam felix fuit, ut in Ada-
mo peccasse non videretur: ac tamen si erat
à natura præfervidus, quales ii ferè, in qui-
bus sanguinis copia humoribus ceteris do-
minatur; tamen nunquam tumultus illos
intestinos expertus esse creditur. Id adeò
de se ipsum professum esse aliquando, à
viro accepi, cujus de fide dubitare nequeã:
cum enim asceticis de rebus ambo collo-
querentur, aperuissetque familiariter is,
quem dico, Francisco, donatum se à Deo
prærogativa quadam; (quo in genere,

haud prodit Scriptor Gallicus) Ego verò, subjecit vicissim Franciscus, *quæ Domino Deo meo sit gratia, quid sint motus obsceni, nunquam in me sum expertus.* Quare minus miram si tam exosum haberet vitium oppositum castimoniam: omninò ut umbram ipsam impuritatum aboleret, ne vitæ quidem pepercisset. Hinc ardor ille tantus, tamque constans, perditas mulierculas ex cœno extrahendi: & ubi primum auditione acceperat, virginis alicujus aut mulieris pudicitiam periclitari, nullam partem quietis animo capiebat, dum eam in turo collocasset: quod si, ut evenit aliquoties, deprehensum flagitium inhibendi facultas non erat, tum verò mœstus atque ingemiscens, sic angebatur animo, ut putares metuere pium famulum, ne à se omnium illorum rationem Dominus aliquando reposceret. Ad extinguendas in aliis libidinis faces, congressus illius familiaris, sermoque valebat plurimum: ut si vel semel cum impudicis feminis fuisset collocutus, earum continuò in mentibus flagitii odium existeret. Nactus sum ego ipse aliquot, quæ cum per diu eo in cœno hæ-

sissent.

sissent, asseverarint, se, ubi primum illo
 Confessario ulæ essent, adeo:ædam ty-
 rannidem averfari cepisse, ut deinceps con-
 stantissime pudicitiam coluerint, Testatus
 quidem est Symianus, optimus Sacerdos,
 Illustrissimique Episcopi Vivariensis, Offi-
 cialis, & generalis Vicarius, cum diu cum
 nostro Francisco versatus sit, quod ejus o-
 perâ tunc idem Illustrissimus Episcopus in
 visitandâ Diœcesi utebatur, agnovisse se in
 eo miram quandam efficacitatem in redu-
 cendis ad frugem mulieribus minus pud-
 cis, atque ad eò in perditis meretricibus:
 narravitque accidisse aliquando, ut cum u-
 nam ex eo grege vidisset ipse, Franciscum
 pone sequentem, ex Francisco ipso quæsie-
 rit, quid eo prostibulo factum vellet? abi-
 geret ocys perditam mulierculam: non
 fructuosius operam in istis hortandis ad
 frugem, quam in lavando Æthiope collo-
 cari: at Franciscum placidè excepisse, At-
 qui, Deo savente, suamque subministrante gratiã,
 emer suram infelicem spero: propositum mihi est A-
 rausicam illam mittere, ad Patres Capuccinos: ii
 sua austeritate perficient, ut Avenione in septum
 abdatur earum, quæ ex eodem extracta volutabro,

E S

pendunt

pendunt ultrò in Cœnobio pœnas tot debitas flagi-
tus, dicuntque Deo caste famulari. Nec ipem
eventus frustratus est: rescitum enim dein-
de ab eo ipso, qui tunc tam præclari consilii
dissuasor extirrit, eam etiam nunc ibidem
castigatissimè vitam exigere per exempla
virtutum, quæ totoribus incitamento sint,
& bonum Christi odorem longè lateque
spargere. Neque modò illa tantum gratiæ
in se efficacitatem experta est: in omnibus
penè, quarum excipiebat cōfessiones, sen-
sus eisdē ingenerabat: adeò ut Sacerdos è
Societate, vir gravis, qui aliquot post annis,
quàm Franciscus è vita mortali excessit, per
ea loca excurrit, in quibus is versatus fue-
rat, asseveret multos à se repertos, (viros
enim æquè & feminas videtur intelligere)
qui cum in immundissimo cœno tum lu-
xuriæ, tùm peccatorum aliorum volutati
prius essent, postmodum nullo penè labo-
re ad frugē sese receperint, vitæque reliquū
in summa morū innocentia exegerint, me-
mores eorū, quæ Franciscus eorū Confes-
siones excipiēs inculcaverat. Cōplures itē
de se ipsi testantur, contra istiusmodi Al-
modæi petitiones itā formidolosās, salutari
sibi

sibi adjumento fuisse Francisci invocatio-
nem, ex quo in terris esse desit: quin etiam,
quoties famuli Dei reminiscuntur, conti-
nuò spurcas quaslibet imagines ex animo
evanescere. Minùs proinde difficile credi-
tu, quod vulgatum à plerisque est, con-
spectum ipsum viri, dum in terris ageret,
valuisse ad libidinosos morus quoslibet
refrenandos: certè quod de S. Bernardi-
no proditum est, puer castigabat severissi-
mè petulantem licentiam eorum, quibus
prætextatum verbum aliquod se audiente
excidisset: ut cùm ceteroqui nihil esset
Francisco affabilius, hîc parceret nemini.
Atque hinc censent plerique omnes, qui
adolescensulum noverunt, ipsum in se flo-
rem virginitatis prorsus illibatum servasse:
ex iisque nonnulli ad me scripserunt, neu-
tquam dubitare sese, quin is non modò
virginitatis decus, sed etiam Baptismi in-
nocentiam, quàm latè patet, ad extremum
usque spiritum retinuerit. Et verò eam in-
rem nullum non præsidiorum genus adhi-
bebat: inter cetera, quotidie S. Francisci
Xaverii vestigiis insistens, confitebatur,
siquidem nanciscebatur Confellarii co-

piam: fructu tali, ut testentur complures, diu cum ipso versati, nihil à se unquam in illo observatum fuisse, seu facta, seu dicta expendas, quod non & inculpatum esset, & ab omni mali specie remotissimum: quod quidem in eo mirum magis, qui in tam assiduis occupationibus versetur, iisdemque tam lubricis, & in quibus persæpè animus ex improvise deprehensus, vix satis sui compos ad deliberandum de quaque re esse queat. Omnino in tam multis rebus quas Dominus Deus quotidie per servum suum supra naturæ vires efficit, nulla fortè mirabilior putanda sit, quàm constans ille tenor vitæ innocentissimæ & ab omni tanquam vitiorum fuligine semper intactæ.

S. V. Mortificatio corporis: Paupertatisque Evangelica studium.

Est quidem vita Religiosa ipsa per se plena acerbiorum: nec in tam severa disciplina fieri potest, quin identidem multa occurrant perpetuo sanè difficilia: qui tamen ex Religiosis officia sublimiora sequuntur, & partes omnes numerosque
virtutis.

virtutis, si non contenti plerunque communibus, adjungunt ultrò ipsi de suo non pauca, & difficillima scilicet. Horum in classe semper Franciscus fuit: cum enim illud assidue & cogitatione volveret, & sermone usurparet, ita nostrum unumquemque Christi Jesu in cruce morientis nuditate affici debere, ut in fimeto emori cupiamus, quò propius accedamus ad ejus similitudinem; totus erat in divexando corpore: & quasi ludus essent illa cetera, quæ Religiosorum quemque exercent; semper graviora rigidioraque sequebatur. In asse ferè cubabat, aut in tabulato ipso cubiculi, atque adeò ferè nunquam vestem ponebat: undè illud conseqe batur in re aspera commodum, ut quâcunque noctis hora ad ægrotos acciretur, semper paratus esset. Somnus brevissimus, horarum fere trium tantum: quinetiam testificantur illius aliàs focii, arbitrari sese, ipsum in Missionibus, nonnunquam mensium sex, vix ultrà horam unam & alteram noctibus singulis dormire potuisse; adeò tempus etiam nocturnum ei præcipiebat Confessionum audiendarum assiduitas, & qua-

liscunque rerum postridie gerendarum, sacrarum concionum puta, apparatus, aut recitatio divini Officii. Victus planè par, hoc est, parcissimus idem, & vilissimus. Dies totos persæpè exigebat jejunus: sub vesperum, corpus utcunque reficiebat, lacte ferè, & pomis aliquot: nam carnes quidem vix attingebat in Missionibus, gelida contentus maximam partem temporis. De prandio, ne cogitabat quidem, ut candidè pro suo more, aliquando feminæ nobili respondit, quærenti fortè curiosius, cur ad prandium, unà cum ceteris non exiisset? Observaverat videlicet, ipsum è Templo pedem non extrulisse, ab aurora ad horam septimam pomeridianam. Frigoris tolerantia propè incredibilis: hiberno tempore haud rarò gelidis in montibus, ad tres quatuorve horas sedebat obvio in lapide, pedibus nivì immerfis, quo iis quoquo modo satisfaceret, qui ad instituendam apud ipsum homologesim penè conferti accurrebant: quo ipso tempore ad lacernulam palliumque nihil vestimenti addebat: & quali non ista satis corpus attererent, singulis penè noctibus verberatio-

ratio-

rationem adjugebat, nec incruentam; cuius quidem vestigia in liventibus, dilaniatisque humeris visa aliquando nec sine horrore à socio, aliquid necessarii obsequii impendente: & tamen, cum deinde è Missionem ad Collegium, undè profectus erat, receperat se se, quærentibus ut sit, Nostris, An non exhaustæ demùm vires essent? Imò virò, subjiciebat ridens, *planè vegetus sum, in istiusmodi occupationibus, lassescio nunquam, nedum exburior.*

Hic porrò talis tantusque acerbitatum amator, an esset etiam Paupertatis studiosus, supervacaneum quærere: qui enim de vitâ ipsâ tuendâ tam parùm sollicitus est, is quemadmodum curare magnopere possit, quæ in vita aut commoda, aut jucunda sunt? Non modò placidè acquiescebat si deterrimum quidque aut offerretur, aut obtingeret, sed etiam illud ipsum avidissimè sequebatur, cubiculum, inquam, omnium maximè incommodum, vestium vilissimam;angebaturque intimis sensibus, si quid secus quandoque contingeret. In Missionibus autem nunquam plenius exultabat animo, quàm cum cuncta deerant.

Viati-

Viaticum non in loculis, sed in Domini Dei providentia repositum habebat, ferè mendicato victitans. Panis ferè secundarius, isque emendicatus à paganis: quorum si qui paulò opulentiores erant, addebant lac modicum, aut fructuum haud exquisitissimorum nonnihil. Sæpè eveniebat, ut postquam in Æde sacra à matutino crepusculo ad horam usque tertiam pomeridianam in familiari labore concionandi, Confessiones audiendi, capita fidei rudioribus, per accommodatas Catecheses tradendi duraverat, quò se reciperet non haberet; sed providentia illa, ex qua totus aprus erat, famulo suo deerat nunquam: nunc hic nunc ille vagum excipiebat hospitio, utroque modica illa ad victum subsidia subministrabat. Narravit ipse mihi, contigisse aliquando, ut cùm diem totum in emetiendo itinere consumpsisset cum socio pedes, ad vesperum, lectum nullum, in quo noctem exigerent, occurreret, præter publicum diversorium, caupone, pagoque toto hæretico. Pecuniæ habebat prorsus nihil, unde cœnam imperaret; & quantumlibet sui negligens, angebatur

gebatur tamen de socio, fatigato supra modum Quid faceret igitur? ad familiare orationis perfugium recurrit de more: cœnaque imperata, haud minus fidenter, quàm si egregiè esset à viarico instructus, dum apparatus aliquid, ipse scandit in superius cubiculum, orationi instituendæ. Ibi offendit improvise hæreticos aliquot juvenes, alea tempus ducentes, nihilque expectantes minùs, quàm Jesuitam interpellatorem. Salutatur tamen omnes Franciscus perhumanè, & comiter: assidet laudentibus, specie quidem, quasi cuperet ea spectandi oblectatione frui, re ipsa tentaturus num quem lucrari Deo posset. At deprehensi procaces juvenes, ridere primum, mox loqui autibus, tum voces spargere petulantes, quo exorsum spectatorem abigerent. Restat nihilo secius Franciscus: nihilque conturbatus animo, disputare instituit de officiis charitatis Christianæ, de modestia, de mansuetudine: carpit illam ipsam inofficiolam petulantiam, indignam utique iis, qui se pro Christianis venditent: respicerent sese ipsi, redirentque ad modestiam. Hæc autem tam incensis verbis perse-

perse-

persecutus est, ut juvenilia præcordia tangente Deo, erubuerint, & tanquam sceleris convicti, veniam petierint à Sacerdote: mox, cauponem ipsi ultro adeunt, jubentque lautè excipere virum de se optimè meritum: persoluturos se quicquid expensum foret.

§. VI. Fortitudo.

QUOD de Joseph Patriarcha sacrae literæ produnt, certamen fortè datum illi ut *vinceret*; id in Joannem Franciscum planè convenit. Tùm vitam religiosam totam, tum maximè partem eam, quæ ab initio Sacerdotio ad obitum pertigit, exegit in certaminibus: cumque ea duplicis generis fuerint, domestica & externa; posteriora plus quidem splendoris in vulgus ei peterant; priora longè graviora perpessu fuêre. Nam sinente Deo, cum ipsa virtute luctandum ipsi fuit multoties, inquit Scriptor Gallicus; hoc est, ut dilucidius res exponatur, eveniebat identidem, ut Superiores tametsi de Francisci considerata prudentia nullo modo dubitare poterant, tamen egere illum freno arbitrati, inhiberent

rent ardentibus illos imperus, quibus vit Apostolicus ad omnia rapiebatur, quæ ad Dei gloriam, animarumque utilitates pertinere rebatur. Atque hinc ingemiscebat Franciscus, dicere solitus iis, quibuscum arcana animi sui communicabat, illa demum certamina omnium maxime ardua sibi videri, quæ cum iis suscipienda essent, quibuscum non nisi precibus liceret dimicare. Sic nimirum exercet Dominus suos; & scilicet utrinque innoxie, dum & qui imperant, & qui parent propositam habent gloriam Dei: cumque in his tenebris mortalitatis non semper neque hi neque illi assequantur satis perspicue, quid quaque in re fieri velit summus Dominus, eò utrique collimant, quod rectissimum putant, atque honestissimum: verum, non propterea non anguntur intimis sensibus ii, qui à tam salutaribus inceptis coguntur discedere. Posterioris autem generis dimicationes tam crebræ fuerunt, ut prædicet Scriptor Gallicus, propè volumen de iis posse se contexere, nisi eorum famæ atque existimationi parcendum duceret, à quibus Franciscus immerens indignum in modum

modum sit habitus. Ubi prius ùm de prostituta aliqua muliercula inaudierat, in id incumbibat continuò ut eam ad frugem continentiamque revocaret. Hinc efferari turpes amatores, Francisco compluries pernitiam, exitiumque moliri sunt: quæ quoties ad eum deferabantur ab amicis, metuentibus ne in virum innocentissimum attentaretur, Ego verò, aiebat sedatè, *non is sum, qui sperem Martyrii decus posse mihi Catholica in urbe obtingere.* Sæpè intenta sica gutturi est; sæpè sclopus obversus in caput: at is fundatus supra firmam petram, concussus nunquam est, nedum ab incepto destitit: contra viri gravitas, & majestas quedam in vultu relucens, extorquebat arma impiis, sic, ut accedente oratione pari, quæ in eum designaverant minimè auderent perficere. Contigit non semel, ut cum noctu evocatus ab iis, quibuscum sanctas illas inimicitias susceperat, tanquam ægroto quispiam, quem nominabant, illius opera indigeret statim, ad instituendam confessionem; ægroto, qui nullus erat, neutiquam appatente, postquam per omnes civitatis vicos vagum circumduxerant, re-

ducere

ducere deinde coacti sint ad Collegium, confessi non alia de causa eum à se evocatum, nisi ut seductum in secessum aliquem ab arbitris remotiorem conficerent, sed occulta quâdam vi prohibitos. Ergo iis fretus præsiidiis, nihilo seciùs quantumlibet intempesta nocte pergere intrepidè quâ vocabatur, seu re ipsa poscebat occasio, seu fingebant perditii illi misericordes: fuit certè cùm aliquando nocte concubiâ evocato ad januam, mentiti sunt nescio qui istius farinae homines, irrumpi per vim à juvenibus quibusdam claris natalibus, in ædes, in quas de Magistratûs consensu resipiscentes aliquot mulieres ipse abdiderat: ni properet, perfractum iri claustra omnia: ne unam quidem postmodum reperturum. Quid faceret? adit ad Rectorem, spem inter metumque alternantibus curis: exponit quid denunciatum sibi sit: facultatem accurrendi flagitat. Et tunc benignè à Rectore exceptus est: monet tamen is prudenter, videat etiam atque etiam, quale, quamque certum periculum adeat: quemadmodum resistere unus tam multis possit; nudus armatis? At Franciscus,

scus,

scus, de more fideus Deo, eadem quidem
menti suæ obvertati ait: ceterum, in causa
Dei, potentio rem Deum fore: quòd si in
tàm pio certamine occumberet, præclare
utique secum actum iri. Cùm annuisset
agrè Rector, pergit famulus Dei: & tan-
quam ad necem propè certam vadens. Sa-
cerdotem alterum ex amicioribus monet,
si quid sibi humanitus acciderit, certo lo-
co cubiculi reperturum eum pecuniæ nu-
merum aliquem, in usus pauperum à se
cum bona Superiorum venia asservatum,
ad nummos quadraginta: totum illud im-
pendat in alendas eas, quarum causa tàm
periculosam dimicationem adibat. Sed
strophæ fuit à nequam juvenibus adorna-
ta: ubi ad locum Franciscus venerat, quie-
ta omnia, pacataque reperit: ita, refert
continuò pedem: & subridens, delusum
se se non tàm exostulat, quàm gratulatur.
Nec minus animi præ se tulit, in confutan-
dis erroribus circà fidem, Ecclesiastæ cu-
jusdam secularis, disseminantis in vulgus
dogmata nonnulla quæ hæresim olerent:
nihil enim cunctatus, confutavit vehe-
menter pro concione, pravam doctrinam:

ac tametsi tumultuati sunt haud leviter, qui adulterinae novitati favebant, asserta tamen orthodoxarum definitionum dignitas est, provisumque ne plebs egregie Catholica fidem ullam accommodaret falsis dogmatibus.

§. VII. *Amor Dei: charitas proximi.*

Fortem ut mortem dilectionem esse, usu magis, quam lectione norunt ii, quorum animos beatus ille Amor DEI, proximique propter DEUM occupat: ac si non omnibus illis sanctis DEI proximique amatoribus contigit re ipsa, DEI proximive causa emori, non tamen idcirco putandi sunt non paratissimi fuisse ad mortis genus quodlibet alterutra de causa subeundum. Certè is de quo agimus, ut vitam in obsequio Domini DEI sui profudit, morbo illo extremo contracto ad eum modum quem diximus; ita semper vixit DEO, DEUM unum suspexit, DEO sua omnia consecravit: ut dicere cum S. Apostolo posset, *Vivo ego jam non ego: vivit verò in me Christus.* Et ardentioris quidem amoris DEI cum duplicis generis indicia esse soleant,

leant, gaudium de iis quæ ipsius gloriam
 promovent, mœror de oppositis; utrum
 duorum magis enituerit in Francisco, dif-
 ficile sit statuere. Ad prius illud pertinet,
 quòd eum in diuturno secessu, quo abesse
 Tolosa juniores Nostrorum coëgit vis
 atrox sævientis pestilentia, ipse rure com-
 morans cum æqualibus, ex iis aliquem
 Canticum quoddam de Amore Dei piè
 modulantem cùm audisset, eo acroamate
 tantoperè delectatus est, ut quoties id au-
 diente se caneretur, toties Angelicam salu-
 tationem canentis ergò, recitaturum sese
 receperit: quâ pollicitatione, ut erat jam
 tum singularis de ejus virtute omnium
 passim opinio, incitati multi, concupitum
 Canticum Francisco iterabant, & scilicet
 pactam reposcebãt mercedem: ad utrum-
 que spectat, quod super mensam vultus
 ejus sæpè colorem mutare deprehensus
 est, ut videlicet quiddam Anagnostes pro-
 nunciabat, quod vel ad Dei decus perti-
 neret magnoperè, vel contra esset supre-
 mæ illi Majestati magnoperè injurium.
 Urebatur imis sensibus quoties ista inci-
 debant: tantusque tunc dolor mentem il-
 lam

lat
 ut
 sti
 an
 pe
 po
 bu
 im
 ris
 nu
 est
 sim
 exe
 dig
 qu
 ver
 stig
 etia
 Scri
 cur
 ado
 suu
 imp
 Inh
 gia
 tigi

iam DEO prorsus addictam opprimebat, ut defectus viribus, stare vix posset in vestigio. Arque hinc illa perpetua sollicitudo anteverendi in tempore, ne quid tale perpetraretur: occurrebat, quoad ejus fieri poterat, precibus, lacrimis, vigiliis, laboribus, abjectissimâ quaque demissione sui, impendentibus calamitatibus hujus generis: neque ab illa mente ullius periculi denunciatione dimoveri se unquam passus est. Si quando per vias vicosque, ut fit passim, cum probro Christiani nominis sanè execrabili, *sanctum & terribile nomen Dei* indignè usurpantes audiret, seu egerando, seu, quod gravius, blasphemando, tum enim verò publicè ac palàm, insaniam illam castigabat verbis severioribus, nonnunquam etiam alapâ, ut innuere, quidem Gallicus Scriptor videtur, dum Francisci zelum cum zelo prisca illius Phinees comparat, additque Franciscum eundem, brachium suum consecrando obturare solitum ora impia, linguamque miserorum expurgare. Inhibebat etiam convitia, quæ inter jurgia fundunt tam crebrò animæ viles: contigit certè aliquando, ut cùm in mulieres

F

duas

duas rixantes incidisset, quarum altera vi-
 rus suę acerbitatis impotentiùs effundens,
 nullo non contumeliarum genere onera-
 bat alteram; ut sensit Iervus Dei æstum
 illum iracundiæ majorem esse, quàm ut
 restingui posset verbis; fecerit quod for-
 tè sapientes seculi reprehendant, at pro-
 barum Deo fuisse, ostendit eventus. Ob-
 vio luto volam eum impleisset, accedit
 ad furiam proprius, perque diducti oris
 hiatus conjicit penitissimè in imas fau-
 ces: quo tam improvise ausu attonita mu-
 liercula, proripere sese continuo in aedes,
 elinguis, seu ex verecundia, seu quod
 proloqui quidquam verabat immissum
 cœnum: circumstantes risum tollere, &
 scilicet mitis laudibus efferre artem Reli-
 giosi Sacerdotis. Ceterum, sic increbue-
 rat opinio de incenso illo ardore Franci-
 sci in ulciscendis Domini Dei injuriis, co-
 arguendisque palàm iis, à quibus augu-
 stum nomen quoquo modo violaretur, ut
 ad Tartaream illam licentiam coërcendã,
 interminarentur vulgò ii quibus sensus a-
 liquis pietatis inerat, delaturos se ad P.
 Franciscum Regis, si pergerent: quæ
 una

una denunciatio plerumque reprimebat
impios.

Jam, quod ad Charitatem proximi atti-
ner, erat Franciscus commune per fugium
captivorum, ægrotorum, miserorum cu-
juscunque generis; iis enim sic erat addi-
ctus, ut vix ullum reperire sit eorum qui
Principibus famulantur, inquit Scriptor
Gallicus, cui extorqueat assentatio paria
iis quæ Franciscus exercebat in vilissimas
illas, ut à locupletibus censentur, quisqui-
liæ humani generis. Ac produnt quidem
monumenta Historiarum, addit idem, ex
Principum, seu virorum seu feminarum
corporibus fœtorem tantum multoties
exhalasse, ut ab omnibus deserti interie-
rint, reperto nemine, qui quantacunque
mercede proposita, tam gravem, tamque
intolerabilem mephiticum excipere vellet,
possetque: at Franciscum nullus unquam
cujusquam morbus, aut fœtor, aut puru-
lenta sanies abalienavit: contra, si exil-
lius assiduitate de intimo mentis illius sen-
su judicares, existimares illum potius ex-
quisitiores aliquas delicias ad deploratissi-
mi cujusque cervical degustare, quam in-

jucundum molestumque fœtorem olfactu excipere. Anicii, cum accepisset in suburbio S. Ægidii versari feminam, cui fœdum carcinoma os ita depasceretur in dies, ut fœtor intolerabilis omnes abigeret, sic ut omni penè auxilio destituta tabesceret; continuò, accepta à Rectore facultate, ad eam adit, solatur benigne deploratam, assidet lectulo, confessionem poscentis excipit nec obturatis naribus, nec ullo dato indicio molestiæ aut incommodi: eademque fortis ac sinceræ charitatis officia exhibuit deinde sapius mulieri miranti vigere adhuc alicubi Christianam miserationem, cujus quidem vim ipsa tanto suo commodo solatioque experiretur. Itabat quoque frequens ad Xenodochia, atque ad publicas vincitorum custodias, utrobique misericos: nam ad ægrotos quod attinet, quod ergà deploratam illam, idem ergà despiciatissimum quemque ulceribus laborantium graveolentibus, usurpabat: captivos autem solabatur perhumaniter, monebarque, viderent etiam atque etiam, ne tam gravium ærumnarum fructum sibi deperire sine-

rent,

rent, sed quæ necessariò essent toleranda, ea æquo animo perferrent, sanctaque homologesi expiati, offerrent Domino Deo tanquam voluntarium sacrificium, quicquid perpeti necesse esset. Quod si adeundi Judices erant, quò citiùs eorum aliqui emitterentur è carcere, tùm verò erat apud Judices eosdem assiduus: nec antè interpellare desinebat, quàm quod flagitabat impetrasset: ac si ob æs alienum quod dissolvere nequirent, clausi carcere tenebantur; quoties id modicum erat, adducebat semper aliquos Christianè locupletes, ad summas eas repræsentandas creditoribus, alios liberans videlicet, aliis occasionem præbens fœnerandi Deo, usuris infinitis. Porriò ea tanta sollicitudo tam Francisco familiaris, tamq; latè patens, viro nec immerenti per illustre cognomèntum peperit, ut vulgò *Pater pauperum* appellaretur. Certè ad Collegium confluebat frequens turba viduarum, pupillorum, opificum sellulariorum, uno verbo, inopum ac destitutorum, implorantium Francisci opem & patrocinium apud Magistratus vel Judices: nec ullum spes sua frustrabatur. Videres

incedentem per urbem, istiusmodi grege
stipatum: illorum deductorem agebat, il-
lorum perorabat causas, ac tanta quidem
efficacitate, ut ferè semper quod postula-
bat extorqueret. Ad sublevandam autem
egestatem eorum, quos magis urgebat pe-
nuria, ut est industria charitas, nunc hanc,
nunc illam arte utebatur: domi quidem, cer-
to loco supellectilem aggerebat indusio-
rum attritatum lacernularum, calceamen-
torum, thesaurum suum nuncupans: hæc
deinde, ut quisque egentium accedebat,
distribuebat consideratè, & quotidie qui-
dem: neque enim unquam deerant qui se
offerrent, aut in quos ipse incidere. Foris
autem, quoties indigentia solito major in-
gruebat, texebat catalogum matronarum,
quarum ipsi perspecta erat tum charitas,
tum opulentia: ad eas itabat postmodum
singillatim: legensque è chartula, quot cui-
que pauperes destinasset, committebat fi-
dens alendos in certum tempus, refragante
propè nulla. Montepessulanenses quidem
femine primariæ ad triginta, societate inie-
runt sanè piam, ad captivos qui in publica
custodia habebantur, alendos sic, ut singu-
la

læ singulis diebus si nõ epulum, certè prandium haud tenue darent: eademque in urbe nonnunquam Franciscus paleam colligatam in fasciculos, hinc inde emendicatam in pauperum storeas, circumtulit per vias palàm, at solus, hoc est, excluso socio, quem non aliter in communionem sancti laboris venire sinebat, nisi iter emetiendo ad suum latus. Diebus item sabbati, ac pervigilio celeberrimæ cujusque festæ lucis, conveniebat locuplerissimos quosque ab iisque exigebat munuscula in egenes, hortans magnoperè rogansve, ne tam præclaram sibi occasionem elabi paterentur, diem festum ad normam priscorum Christianorum sanctè exigendi, alendo vestiendoque Christo mortalium Redemptore. Nec non opportunè importunè adibat ad matronas, quoties æger aliquis ex egentibus graviore rerum necessariorum penuria conflabat: ab hac jusculum postulabat, ab ea esculenti aliquid paulò exquisitius, ab illa nonnihil pecuniæ: à pharmacopolis autem & Medicis, saltem semel destitutum illum inviserent, morbi que natura considerata, quod opportunum reme-

dium videretur, adhiberent. Ac si quando negotiorum obedientiæve ratio, aliò vocabatur, ita ut excedendum ex urbe esset, tùm suum in locum ad id ipsum munus charitatis aliquem sufficiebat eorum è numero, quos volentes ad eadem opera Christianæ misericordiæ singulis in civitatibus erudiebat, vicem suppleturos suam. Ceterùm, quæ officia impendebat miseris, ea tanta humanitate condiebat, ut munus, quod ajunt, mirum quendam in modum verbis & oratione honestaret, ita, ut ad illius conspectum exhilarati, faciliùs revalescerent. Satisfaciebat igitur aliis omnibus, sibi non satisfaciebat: ut aptissimè illud in eum conveniret, *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Videlicet ignaviæ accusabat sese, quòd non proximorum causa vitam profunderet, alia omnia levia reputans: quanquam nec per ipsum stetit, quò minus tam præclara in palæstra morte defungeretur: quando quidem super tot labores, totque discrimina, quæ fratrum suorum causa adibat; constat, quo tempore pestis Tolosæ grassabatur, nullo non modo

modo ipsum instituisse apud Superiores, sibi ut liceret eis adesse, quos lues afflaverat: quæ quidem animi fortitudo hoc magis suspicienda est, quod tunc in ætatis flore versabatur, vixdum studiorum curriculum emensus. Quàm autem animo altè cogitatio insideret juvenum proximorum, documento fait, quòd cum aliquando Sacerdos quidam è Nostris è Lugdunensi Provincia, Anicio transiens, præ se tulisset, ut sit, desiderium lustrandæ civitatis, & quæ digna homine piè curioso essent spectandi; postquam se Franciscus ultrò socium obtulerat, egressis ambobus, petiit Franciscus ab eo quem ductabat, ejus ut cum bona venia ex itinere liceret sibi invisere ægrotum jacentem jam diù, & propè tabescentem. Annuente Sacerdote adventio, ad ægrum adeunt, assident, temporis tantum tribuunt, quantum adhibendæ consolationi necesse fuit. Ubi egressi erant, inter progrediendum rogat iterùm Franciscus hospitem, ne gravetur in languentis alterius tugurium pedem inferre, verbulo rem confectum iri. Consentiente illo, casulam subeunt, solanturque opportunè.

tunè. Eâ tanquam escâ ille ctus Franciscus, à secundo transit ad tertium, à tertio ad quartum; donec ad vesperascente jam die benevolum Sacerdotem, eaq; tam incensa charitate delectatû, magis quàm ullo alio spectaculo, reducit Franciscus ad Collegium, haud sine rubore: sed vicit charitas. Haud absimile, quod cùm aliquando à P. Rectore facultatem Franciscus petiisset, eundi ad ægrotum, qui proximè moriturus nunciabatur, repulsam passus (quâ de causâ, Gallicus Scriptor non prodidit, ait tantû n, justam fuisse) incidit in familiarè Sacerdotem: & Explora, inquit, arteriam: en, febris me incessit: hæc tota nocte seviet, nec partem quietis capere poterò: eccui enim vita vitalis esse queat, facultate proximos juvandi præcisa?

§. VIII. *Zelus animarum.*

Zelus, ut in confesso est tùm apud Doctores alios Theologos, tùm maxime apud S. Thomam, amor est incensus, illud semper intuens, sempèrq; sequens, ut nihil non agat, non suscipiat, quod ad Dei quem unicè diligit is in quo inest, decus gloriamque quoquo modo pertineat. Et quoniam intel-

intelligebat Franciscus, nihil se Deo gratius acceptiusve facere posse, quàm si in animarum utilitates incumberet, hominesque dirigeret ad vitam beatam; idcirco nullam penè rationem sui habens, hoc est, & valetudinem negligens, & cuncta penè abdicans, quæ ad corpus tuendū referrentur; nihil aliud versabat animo, nisi quemadmodum iis consuleret, eò facta omnia, operam, labores, ærumnaque referens. Ac prædicant quidem passim quotquot cum eo versati sunt, neminem unquam visum sibi, cujus in animo zelus æquè ferveret: estque sanè difficile æstimare, quemadmodum unus tam multa amplecti potuerit, & scilicet aptè & fructuosè perficere. Habebat quidem eam ad rem præsidium ingens à viribus & firmitate corporis: eam cum mens plena Deo tam salutarem in modum adhiberet, minùs mirum si tam multa præstabat. Quotidianum erat, verba facere ad plebem, hortari, catechetica doctrinam tradere, confessiones ab aurora ad vespèrum excipere; accedebat difficultas itinerum crebra, dum hàc illàc rus excurreret ad verbum Dei prædicandum, sic, ut cum

eâdem die revertendum nonnunquam ad
 Collegium esset, leucas ipsas decem per
 aspera sanè loca emetiretur pedes. Inedia
 penè perpetua erat in Missionibus: quan-
 quam etiam in Collegiis evocandus sæpè
 jussu Superiorum ex homologeterio ad
 cibum capiendum erat: cujus cum ne le-
 vis quidem cogitatio mentem in tam san-
 cta procuratione occupatam subiret, ni-
 si eum ad modum accerseretur, dies to-
 tos excipiendarum confessionum labo-
 rem continuaret. Sedenim ut sibi nullo
 modo parcebat fidelis famulus, sic sæpius
 benefiam in se Domini DEI providen-
 tiam experiebatur. Ad honestum quidem
 Parochum, cujus in parœcia consueto
 Missionum labores exercebat, monen-
 tem temperaret sibi aliquantum, nec tam
 duriter corpus, viresque corporis neces-
 sarias affligeret, *Atqui ignavus sum, inquit,*
si mihi parcam, postquam tantam in me to-
ties Domini DEI benignitatem sum expertus.
Fuit inter cetera (adjunxit) cum iter sanè ar-
duum per montium juga emetiens, crus fregit:
properansque nihilo seciùs quà ejus obsequium
vacabat, leucas duas sic affectus cum confecis-
sem,

sem, explorans quo statu crus esset, planè con-
 sanatum reperi. In Collegio autem (Ani-
 ciensi credo, In quo tamdiù laboravit)
 cùm per sacram Catechesim perstrinxis-
 set acriùs juvenum aliquot petulantiam,
 miseri non de morum emendatione, sed
 de ulciscenda injuria, quam interpretabā-
 tur, cogitatione suscepta, statuunt imme-
 rentem Catechisten excipere fustibus, nul-
 la Sacerdotii, nullâ tantæ virtutis ductâ
 ratione: ac ne quid deesset ad contume-
 liam, verberare propalâm, seu ad ja-
 nuam Collegii, seu ipso in atrio. Ergo
 concurrunt quisque cùm sica, cùmque
 fuste, ac per Janitorem, P. Franciscum Re-
 gis evocant. Ipse, quid molirentur igna-
 rus, ut honestiori de causa. hoc est, in-
 stituendæ homologeseos adesse illos ex-
 istimavit, à Janitore precatur, eos in Æ-
 dem sacram inducat, se brevi affore. Ita
 pergunt vesani, eodem consilio, nihil
 moti animis, nihil loci sanctitate deter-
 riti: cùm adventans venerabilis Sacer-
 dos, vultu hilari, & ad Christianæ be-
 nevolentia significationem composito,
 quærit perhumanè quid velint? Exar-

mavit ea species furentem rabiem: & querelis quidem orsi sunt, atque à commemoratione injuriæ, quam ab eo à se immissam muflaverunt: quam ad orationem Franciscus mutata persona, dignam Christiano pædagogo severitatem induens, injuriæ quidem nihil à se in illos profectum asseveravit fidens ceterum, sic haberent, nihil sibi accidere posse jucundius, quàm si quid contumeliæ tam pia ex causa sibi imponeretur, neque intentato fustuario quidquam fore gratius: verùm, respicerent sese, & quo loco sempiternas animarum rationes positas haberent, meditentur seriò. Quæ cum inculcasset vehementiùs, operamque nihilo secius suam ad iter æternæ salutis pandendum offerret, ita permovit omnes, ut polliciti sint se postridie ad eum confessionis generalis ergò, reversuros: & fecerunt ex his duo.

His igitur divinæ tutelæ præsidis fretus, nihil non Franciscus audebat, quod ad Dei sui gloriam cessurum videret. Anicii quidem, cum perinde atque in aliis civitatibus (nimia utique Christianorum Magistratum indulgentia) flagitiosam nequitiam exer-

& à
om-
e im-
nem
Chri-
ens,
ose-
abe-
dius,
causa
stua-
pice-
ani-
dita-
che-
n ad
rret,
e po-
s et-
erus,
l Dei
qui-
ibus
stra-
ciam
exer-

exercerent histriones, inque illo grege impudens muliercula personam in scena ageret, lascivientem juventutem laqueis irretiens suis, atque adeò faces longè lateque jactans impuræ libidinis; non tulit Franciscus exitiabile flagitium. Ad Magistratum adit continuò: commonstrat quo loco Christiana res sit Anicii: ad Avernales extinguendos rogos concurrendum ocys: eas partes potissimum esse Christiani orthodoxique Magistratûs: proinde ne detrectaret tam gravem, tamque propudiosam corruptelam inhibere continuò. Is, ut mos hominum est, eorum dumtaxat quorum non est incensissima Dei charitas, tergiversari, morasque necere: provisurum se brevi: nihil urgere tantoperè: diem unum aut alterum tanti non esse. At opponere contrà Franciscus, in publico incendio, flammâ magis ac magis grassante, procrastinari impunè nunquam: in tanta morum pudorisque jactura ni properet, ulturum Deum. Quæ cum vehementius persequeretur vir pleus Deo, Magistratum tandem ad locum deducit, perficitque, ut repugnans licet, ac propè invitus, inter-

inter-

interdiceret tamen severè miseræ mulier-
culæ, ne se deinceps in scenam daret, pro-
posita pœna graviori. Ac tum demum vi-
ctor Franciscus, proque re benè gesta gra-
tias eidem Domino Deo referens, cujus
res agebatur, non obscurè tamen significa-
vit, si Magistratus abnuere perrexisset, se è
regione propudiosi pegmatis concionem
advocaturum fuisse, publiceque declama-
turum tum in histriones universè, tum
propriè in prostibulum illud. Et maximam
utique audientiam piæ orationi fecisset
concepta de viri virtute opinio, quæ propè
in venerationem transierat: hinc concur-
sus incredibilis, quoties non modò verba
faciebat ad populum Ecclesiastes, sed et-
iam quoties Catechistes sacram doctrinam
explicabat familiarius. Illud constat, cum
ibidem Anicii, in Æde sacra S. Petri, lectio-
nes Catecheticas haberet, concursum tan-
tum fuisse, ut frequentiam æquaret illam,
quâ celeberrimi Concionatores quique,
festis diebus audiuntur: ut ad præclarum
spectaculum Ecclesiastes quidam è nostrâ
Societate perillustris, obstupescens, in hæc
verba proruperit; *Planè declarat hic Dominus*
Deus,

Deus, à se derideri sublimem illam eloquentiam, quam vulgò sacris in suggestis sequimur: plus ex-istimationis ac nominis pariunt P. Francisco Regis familiares Catecheses, quam nobis limata nostra elocutio, & lumina illa orationis qua dicuntur, tanto labore accensa: oleum persapè, & operam si non perdimus, collocamus certè fructuose parum, dum pompæ magis servimus, quam sequimur animarum utilitates. Et ita prorsus res habebat: sæpè verbis tribus inveteratos mentium morbos consanabat: tamque altè defigebantur animis, paganorum præsertim, ea quæ tunc proponebat, ut neget etiamnum pia plebs, oblivisci se illorum posse: redire enim ea in memoriam, quoties eorum aliquid usurpare, monet occasio: memorantque identidem benevoli quondam auditores, quanta cura, quantaque patientia rudes institueret; quanto ardore deterreret à vitiis, & publicas corruptelas peccataque insectaretur, illa præsertim unde publica crearetur offensio. Nimirum viget candidis in mentibus dictorum factorumque Francisci memoria tum aliis locis, tum desertis illis in montibus quos tam sæpè peragravit: estque vulgò iis in
tracti-

tractibus oratio parentum ad liberos, dum
isti minùs decore se gerunt, *Atqui non hoc
tradebat Sanctus Regis*: hac enim nomen-
claturâ famulum Dei designant. Ceterum
quoties cujusquam mendicorum egesta-
tem sublevabat aut pecunia, aut veste,
aut calceis, jubebat adiret ad se ad cer-
tum diem, confessionis ergò: hinc tam nu-
merosi illorum ad Francisci homologe-
terium greges, festis lucibus præsertim,
quibus lucibus charæ religioso Confessa-
rio plebeculæ primarii quique cedere co-
gebantur. Denique constans est Nostro-
rum plerorumque omnium opinio, nun-
quam se in quoquam tam incensum
studium animarum vi-
disse.

 PARS TERTIA.

RES MIRÆ.

§. I. *Opinio de ejus sanctitate concepta.*

SI vox populi vox Dei, vel hinc venera-
 tioni esse debeat eximii Sacerdotis vir-
 tus: quibuscunque enim in locis versatus
 est, in iis incredibilem opinionem sui con-
 citavit. *Sancti* nomine, quod proximè atti-
 gimus, ubi vis apud Montanos illos desig-
 nabatur: *Sanctus*, aiebant, hunc illumve ad
 pagum Missionis ergò pergit: *Sanctus* ita
 docuit: *Sanctus* adierit propediem: neque
 ulla præterea interpretatione opus erat:
 nullo negotio intelligebat quisq; agi de fa-
 mulo Dei, Francisco Regis. Memorat qui-
 dem certè unus è Nostis, cum aliquando
 iter faciens, multitudinem in pago quo-
 dam cerneret ad fores Templi opperien-
 tem, quælivissetque, quid demum causæ
 esset, cureo loco consisterent & penè om-
 nes una voce respondisse, à se *Sanctum* ex-
 pectari, mox ad futurum: cumque haud in-
 telligeret quem tandem tam honorifica
 appel-

appellatione designarent, iterum ac tertio percunctatum quid demum illos eo loco distineret? nihil prorsus responsi tulisse, nisi *Sancti* adventum sese opperiri: post, animadvertisse, de Francisco locutos illos, cujus nomen ignorarent aliud: adeo increbuerat de viri Dei sanctimonia opinio. Atque hinc illa veneratio tanta, ut etiam superstitis vestes, Epistolæ, alia ejusdem generis, pro Reliquiis haberentur. Rusticana quædam femina cum aliquando propior, pallium ejus longa usura attritum cerneret, atque adeo non uno loco lacerrum; per officiosam dissimulationem ab eo petiit, ut sarciri à se illud sineret. Cum non abnueret Franciscus, oblatâ ratus utredum opportunitate, refarcit illa quidem studiosè, & quâ dehiscebat, coagmentat: verum ita, ut clam frustulum decerpserit, eâ fiducia fore ut id pro amuleto deinceps ad depellendos morbos esset. Nec piamentem spes sua frustrata est: eâ ipsâ luce, cum filios duos domi jacentes haberet, alterum ex hydrope, ex febris alterum; ambos applicito frustulo vidit levatos statim, intrâ paucos deinde dies confanatos profusus.

tertio loco
lisse,
ani-
s, cu-
ncre-
inio.
etiam
idem
ulti-
pro-
itum
lace-
m ab
Cum
usu-
idem
ntat
ferit,
ceps
iam
luce,
eret,
a.m-
tim,
ror-
sus:

fus: atque ex eo tempore cepit idem pan-
niculus pro præsentissimo remedio totâ
viciniâ adversus cujuscunque generis
morbos adhiberi. Ex quo autem in terris
esse desit, matrona nobilis cum accepisset
Francisci galerum eleemosynæ nomine
datum à Parocho, cujus in ædibus obiit,
obvio mendiculo, tanquam rem nullius
deinceps neque pretii, neque utilitatis; il-
lum eundem haud modica pecunia rede-
mit ab homulo egente. Tensæ item (pagi
nomen est) incolæ tibialium alterum ab
eodem Parocho impetratum asservant
etiamnum perstudiosè, tanquam deposti-
tum infiniti pretii: ac fama subinde lon-
gius latiusque manante vel de viri sancti-
monia, vel de rebus mirabilibus à Deo ad
fidelem famulum condecorandum fieri
cœptis, ab illo ipso Parocho institerunt
quamplurimi, sibi ut saltem frustulum ex
talarî toga Francisci largiretur: sed non
omnibus satisfieri potuit. Præmiola verò,
ab illo aliàs secundum Catecheticas præ-
lectiones in merentes pueros puellasque
distributa, nunc tanti fiunt, ut prope pro
gaza habeantur. Mirum porro imprimis,
intrâ

intrà decennium quàm è vivis excessit, frequentiam tantam ad ejus tumulum extitisse, fidem ut omnem superet, inquit, Scriptor Gallicus. In pago paulò antè deserto, numerati mortales uno die, suprà decies mille: eodem ducuntur supplicationes ex pagis aliis decem duodecimve leucas distitis, & scilicet per itinera montuosa, ac propè per præcipitia. Carpitur item gleba tumuli ab unoquoque sic, ut nisi identidem nova humus ad loculū aggereretur, reiectus jam fuisset sapius: eâ glebâ redacta in pulvisculum, mox epota, utuntur adversus morborum genus quodlibet: atque adeò pro magno munere mittunt amici ad amicos pyxidiculas illa refertas. Quin etiam audiivi ipse de Medico scientissimo, cum diceret se, dum minus cedunt febres contumaciores remediis illis quæ ex artis scitis præscripserit, mittere solitum ægros ad Patris tumulum, leucas licet quatuor quinqueve distitum: hoc medicinae genus perrarò fallere. Hinc frequentissima sacrificia fieri solita ad Altare sacelli in quo corpus depositum: eò confluunt è viciniâ Sacerdotes eâ gratiâ: nec ullus est, cujus

cujus opera non quotidie conducatur: neque mirum, cum ex oppidis pagisque nonnunquam leucas ipsas Gallicas viginti distitis, & quod excurrit, votirei plerique conveniant. Et, quod fortasse ante hac inauditum in Ecclesia fuit, Anicii ad ejus homologeterium fiunt novendiales visitationes: ibi fundit preces plebs pia tam frequenter, ut dubitare nequeas, quin permulti ea quæ à Domino concupierant, venerabili Sacerdote sequestro obtinuerint. Sic nimirum innocentiam Francisci honestat magis magisque in dies largitor innocentia; quæ quidem in candidissima anima talis tantaque fuit, ut cum sub extremos mortalis vitæ dies ex letali morbo jam decumbens, generalè vitæ totius confessionè instituisset denuò, (nã præter illã quam eo in secessu paucis antè diebus instituerat valens, ut prima Parte vidimus, quò qui mundus erat, mundaretur adhuc, inquirendum denuò in facta, dicta, cogitata vitæ totius sibi putavit) stuporem attulerit Confessatio, viro ceteroqui singulari eruditione juxta, & acerrimo judicio. Jacobus Latcombæus fuit, è nostra Societate Sacer-

Sacerdos: is sub extremum illud vitæ tempus ad eum visendum solandumque missus Anicio, cum totam penè noctem unã, quam ambo insomnem traduxerunt, in audienda totius ætatis Francisci recognitione posuisset, versavissetque virum partes in omnes, si quid eliceret, quod inceserat suspicio, delirare fortè pœnitentem tam ab omni culpa intactum; tandem duo nec sine admiratione profiteri coactus est: alterum, Franciscum sibi semper egregiè constituisse, ad extremum usque spiritum; alterum, cum sic sana mens esset viro in sui ipsius cognitione versatissimo, & scilicet sese ad formidolosum illud iter vitæ alterius, quam accuratissimè potuit comparanti; tamen non modò nullum letale peccatum in eo deprehendere potuisse, sed etiam vix materiem absolutionis (verba sunt Gallicæ schedulæ, quam penes me cum ejusdem Confessarii chirographo asservo) nancisci potuisse. Addit, corpus exanime, postquam horas jam quadraginta inhumatum jacuerat, flexibile semper remansisse, perinde atque si ex animæ consortio spiraret adhuc, utique procul

procul veneni suspicione; cùm neque ul-
 lus pestilentiaë rumor esset iis locis, &
 Franciscum ex peripneumonia obiisse
 constet: in vultu autem extitisse aliquid
 augustius, quod venerationem conciliaret
 demortuo: &, quod ad eandem venera-
 tionem haud parùm contulit, Parochos è
 vicinia, ad duodeviginti saltem, ad funus
 tanquam consensu adventasse, per altas
 nives, propè supplicationes ducentium ri-
 tu, cum suâ quemque plebe, ad septingen-
 tos octingentosve paganos, unde moni-
 tos, nescias: neque enim ab ullo fuerant
 invitati: singulos illos Sacerdotes piè sa-
 crificasse; post. Sacrum solennius conjun-
 ctim peregisse cum cantu; ubi porrò secun-
 dum sacras ceremonias tumulandum cor-
 pus fuit, complorationem extitisse talem,
 qualem edere paterno in funere amantis-
 simi filii solent, ut vix piæ turbæ complexi-
 bus cupi potuerit.

S. II. *Rerum futurarum predictiones.*

NON est unius cujuslibet, divinorum
 arcanorum conscium fieri: ac tametsi
 summus ille rerum suarum nostrarumque
 G dispen-

dispensator tenebrosis etiam mentibus
 non nihil lucis illius impertit, quæ aperit fu-
 tura, est id tamen peccatum, supremo illo
 arbitro ita ferè cum hominibus sese adhi-
 bente, ut interiori illa admissione non nisi
 mortalium innocentissimos dignetur, ne-
 que hos omnes. Certè è beato illo numero
 Franciscum fuisse, planum faciunt quæ se-
 quuntur. Feminam quandam in flagitio-
 rum cæno ad eam diem volutatam, quæ
 in eum, ignotum adhuc, confessura incide-
 rat, ad honestatem morum, pudicitiamq;
 ardentè de more incitans vir Dei, *Sic habe-
 to*, inquit: *ante sex mensis Deum in te beneficen-
 tissimum experire: in aliam prorsus mutaberis: &
 quæ futura est in te vis gratiæ, miraberis eta-
 lem fuisse, qualis extitisti ad hanc diem: atque
 adeò vix te ipsa agnosces.* Nec falsam præ-
 dictionem fuisse, declaravit eventus: intra
 illud temporis intervallum tanta in eâ fa-
 cta mutatio, ut valere prorsus iussa flagi-
 tiosa licentia superioris ætatis, egregiè de-
 inceps sibi constiterit, Deo castè famulans,
 nec ulla unquam arte Satanz à consilio
 sanctè suscepto dimoveri potuerit. Virgo
 quædam erat ex earum numero, quarum
 operâ

operâ animarum zelo æstuans Sacerdos, utebatur frequens ad mulierculas, ut diximus, aut extrahendas è fœdo volutabro, aut alendas, aut continendas deinde in officio. Hæc diuturnum laborem eundem, & malignum ægrius ferens, cum negaret aliquando Francisco enixius poscenti, quidam istius generis, nec ullis sese precibus exorari pateretur; tum verò fronte juxta & oratione ad severitatem conversa, *Video, inquit, minimi me, minimi hortationes meas facis: sic habeto tamen, aliquando opera mea indigebis, requiresque absentem procul, atque adeò ad me venies.* Et sic prorsus evenit: haud ita diu post, Francisco morte sublato, virginem eandem fustuario tam atrociter exceperunt petulantes juvenes quidam, quod piorum Francisci consiliorum administra & adjutrix, nefarii flagitii facultatem iis antea ademerat, ut contusis artubus, movere vix corpus posset. Ergo adhibet medicamenta apta, idoneaque, quàm multiplicia artis Medicæ Chirurgicæque placita suggererant: sed quicquid faceret, languebat nihilo secius, neque vires recuperabat, aut membrorum firmitatem.

tem. Proinde quærendam medicinam aliã
 sapienter cogitans, ad optimi Patris tumu-
 lum perrexit: ibi conlanata est. Hæc porro
 prædictio, una licet, multa tamen tunc
 simul ac semel Francisco visa cognitaque
 fuisse declarat: moriturum se procul è
 loco, in quo tunc versabatur: malè
 mulctatum iri contumacem virginem: ea
 in destitutione in clamaturam opem opti-
 mi Moderatoris animæ suæ: Deum deni-
 que perfecturum è cælo, quod ipsa flagi-
 tatura ad famuli sepulcrum foret. Alia ex
 iis, quarum mentes procurabat, cum ali-
 quando apud ipsum deploraret de obitu
 filii sororis, & unici quidem, *Atqui, ait Fran-*
ciscus continuo, non est cur te tanto perè ex-
crucies: alterum etiamnum utero gestat soror tua,
à Domino Deo in locum illius alterius suffectum.
 Hoc verò magis mirum pronunciatum
 ab eo tam fidenter fuisse, quod tunc
 mulier ante triduum modò conceperat,
 uti post ex eo paruit, quod totos novem
 deinde menses, dempto triduo, uterum
 gèstavit. Ut autem illius ortum infantuli,
 sic pueri cujaldam obitum non minus cer-
 tò prædixit, *Femina quædam cum eo ser-*
 moçi-

mocinans, cum diceret inter alia, certum
 sibi esse ad liberalem institutionem filii,
 sumptui nulli parcere, vel cum incommo-
 do, Ego verò, inquit Franciscus, *auctor tibi sum,*
sumptus illos aliò transferas: neque enim filius
tuus diu futurus in vivis est. Matrem perculit
 inopinata denunciatio, at salutarem in
 modum: licuit enim Christianæ feminæ,
 ad tristem casum excipiendum, per otium
 sese comparare: puer quidem ante an-
 num evolutum morte sublatus est. Alia
 apud eum memorans de viri sui nequitia,
 sævitiaque, à Francisco bono animo esse
 iussa est: cupere se cum illo agere co-
 ram. *Atqui si faxis,* inquit misera, *non*
modò nihil me juveris, sed etiam jam ferocem
exacerbaveris magis: novi illius ingenium: ob-
jurgationis impatiens, in me impotentius deser-
viet. Hic verò Franciscus, postquam ali-
 quandiu cogitabundus hæserat, nihil du-
 bitans, Ergò, inquit, *confidito; intrà breve tem-*
poris intervallum mores viteque institutum
mutabit vir tuus. Et planè ita ut pius va-
 tes dixerat, contigit: occulta quadam
 efficacitate sic brevi respuit homo, ut
 superiorem licentiam nequitiamque aver-

satus, placidissimè deinceps vixerit cum uxore, à caupona prorsus abstinens, Christianique retinens officii. Luctuosior vaticinatio de perdita puella quadam. Hæc cum ex flagitio emeruisse crederetur, traditaque esset matronis è Congregatione S. Caroli, unde castè & piè vivere diceret, nihil non frugis pollicebatur, dum earum ope ac sumptibus turpis morbus abigeretur, quo ferè prostibula istiusmodi luere foedam intemperantiam solent. Ergo adeunt ad Franciscum misericordes feminæ, remque ita exponunt, ut nihil dubitantes, quin consilium per se honestum prorsus approbaturus esset magnoperè, penè sibi ipsæ gratularentur; præsertim cum ipse, identidem easdem incitasset ultrò ad alias eadem liberandas. At is, contrà quàm putaverant, fronte corrugata vultuque severiori, dehortari magnoperè ab incepto. Miratæ mulieres, pergunt tamen, opponuntque, hinc, miseram illam, adolescentulam adhuc esse: cum nondum flagitii consuetudo inoleverit, haud difficillimè indolem alioqui perdocilem ad virtutem honestamque

remque flexum iri; illinc, Franciscum ipsum auctorem jam fuisse, ut aliis multis eadem labe inquinatis succurreretur: quam beneficentiam ejus hortatu non semel in externas mulierculas exercuissent, eam per æquum esse civi suæ non negari. At vir Dei, Ego verò, inquit, studium hocce vestrum laudo magnoperè: nec dubito quin egregiam illam voluntatem copiosè aliquando muneraturus sit Dominus; at ita, si nihil ultra movebitis: sin pergetis, illud denuntio, pernitiam vos certissimam creaturas ei, cui tantopere studetis; proinde absistatis censeo, & quo statu est, miseram relinquatis. Sed morem haud gessere inconsultæ mulieres; adhibent Chirurgum, immerentemque consanant: verùm vix convaluerat, cum ad superiorem intemperantiam rediit, ingemiscuntibus matronis, & serius incusantibus pertinaciam suam, quæ Francisco, plus utique videnti, haud paruisserent. Terrificum item quod perditæ alteri cecinit, quæ cum ter quaterve aut resipuisset, aut resipuisse putaretur; Sic habeto, ait vir Dei: si hac vice sefelleris, morte repentina à Deo mulctabere, sic, ut ne momentum quidem ad exorandam veniam concedatur. Funestam præ-

Etionem securus funestior: aliquantè post, sclopus minor explosus in caput, miserrimo scorto vitam eripuit, cum maximè petulantes juvenes aliquot ad flagitium alliceret.

§. III. *Res mira ab ipso in vita peracta.*

Sunt hæ diversi generis, atque adeò vix ad certa capita revocari queant: proinde aliis alias subjungam ordine. Feminam non hæreticam modò, sed etiam in hæresi sic obfirmatam, ut viro nobili cujus in dynastia degebat, quique singulari quodam studio in id incubuerat diu, ut deviam, rectum ad iter reduceret, ad eam diem frustra, flexit Franciscus tribus verbulis. Cum enim per agrum Vivariensem iter faciens, illac fortè transiret, expostulassetque cum eo amicè, ut sit, pius dynastes de mulieris contumacia, quæ se nullis neque pollicitationibus, neque minis ab heterodoxis opinionibus deduci sineret, Tu verò, inquit, Franciscus, *illam per aliquem tuorum accersito.* Cùm venisset, *Eia, inquit, illam compellans, non vis ad sanctam Ecclesiam Catholicam reverti? Quidni verò?* subjicit femina: *tu id à me*
poscis

poscis tam comiter, ut refragari nequeam. Neque longiori disceptatione opus fuit: professionem fidei emisit penè continuò. Eundemque ad modum persuasit sellulario cuidam opifici, cui familiarius nihil erat, quàm per cauponas vino sese ingurgitare, perque ebrietatem, miserrimam uxorem pugnis contundere, ut sobrius deinceps esse vellet: in eum enim cum incidisset, *Non est, inquit, honesti viri uxorem habere tam indignum in modum: nec benè morati conjuges itant ad ænopolia, multò minus manu fusteve tundunt uxores.* Hæc placidè cum accepisset vir ad eam diem ebriosus, & caupona abstinuit deinceps, & uxorem habuit tam humanè, ut ea tam subitam conversionem morum, tamque insperatam satis mirari non posset, neque finem ullum faceret deprædicandæ tantæ sermonum Francisci efficacitatis. At non tantum ejus oratio, sed etiam aspectus unus corporibus juxtà & mentibus medebatur. Una cerrè fuit eorum, quarum mentes procurabat, quæ cum gravi ocalorum dolore torqueretur multos jam dies, constituissetque ad S. Bartholomæi Apostoli patrociniùm per novendiale Sacrum ad

G s ejus

ejus decus celebrandum confugere; confilio communicato cū amicā, quæ ipsa quoque P. Fráncisco Confessario utebatur, ejus monitu ad Templum nostrū adiit communem Confessarium cōsultura prius: verū, præstolari coacta, dum is alius cujusdam confessioni dat operam, nec mediocriter prolixæ; dum opperitur, abscedere repente dolor, sic, ut antequam illa altera finem confitendi fecisset, redierit hæc domum planè levata: prostridiè rem totam narranti cum gratulatione, inculcavit Franciscus, qui Sanctorum mos semper fuit, ejus obedientiæ secundum eventum assignandum esse: porro nunquam deinceps mulier oculorum dolore tentata est.

Advocatus aliquando ad virginem ægrotam, quam penè animam agentem reperit, cum jam pronunciassent Medici, vix duas tresve horas victuram; adstans Dei famulus tantisper colligit animum silens, & quantum quidem conjectura fert, moribundæ dotes ætatemque considerans, aptissimam utique ad divinum obsequium; uno retento focio, excedere portas jubet quotquot aderant: tum procum-
ben

bens in genua, oravit haud ita diu, at ardentissimè : mox Apostolica quadam fidentia brachium deploratæ prehensens, In nomine, inquit, Domini nostri Iesu Christi, impero tibi febris, abscedas omninò à corpore huusce famula Dei, liberamque relinuas ad pias functiones, ad quas illius opera visam eidem Domino Deo uti in tempus longius. Nec pluribus opus fuit : cessit febris sic, ut continuò ægra sensuum usu recepto, quem prorsus amiserat, ad se redierit, intrà paucos dies planè convaluerit, stupente Medico, & divinam vim primum; post, efficacitatem precum servi Dei suspiciente. Ut verò Franciscus eam laudem sibi ipse præriperet, persæpè nuncupari vota jubebat Cælitum quibusdam : quorum quidem votorum præsentissima ferè vis erat. Mulier uteretur gestans, eò usque permiserat se impotenti iracundiæ, ut eam exceperit profluvium ingens sanguinis, & scilicet tam pertinax, ut nulla vi sisti posset. Cùm jam conclamata salus illius esset, accersitur vir Dei: is cùm accurisset, brachium deploratæ prehensens, proinde atque illius alterius, nuncupare jubet certum

votum SS. Ignatio ac Mauritio: vix id mulier conceperat, cum inhibitus illico sanguis est: ita brevi convaluit. Eadem arte conatus est aliàs, in Sanctum aliquem, cujus nomen proditum non reperio, curationem transferre cujusdam virginis, exitiali laborantis dysenteriâ. Cum enim ad eam adiisset, hortatus magnoperè est, ut votum Deo, Sancto illo interposito, nuncuparet: sperare se, convalituram. At illa (quâ de causâ haud comperio) certum sibi esse asseveravit, votum deinceps nullum concipere, post tot jam nuncupata: neque verò se per miraculum velle convalescere. Ubi illam in suscepto consilio perstare Franciscus videt, *At saltem, inquit, brevem mecum precationem recita.* Cùm annueret, ipso verba præeunte imperatam rogandi formulam virgo recitavit: secundum illam discessit fauulus Dei, ipse quoque Domino Deo laborantem commendans: illam cum visisset postridiè, sanam reperit, sic tamen, ut, quod perrarum, exclamaverit continuò, propè exostulans, fraude se confanatam. At Franciscus indito silentio, ne verbulum quidem ab eâ

addi

addi passus est, ne adstanti socio miræ illius curationis cognitionem daret.

Quod sequitur, pro miraculo haberi debeat, necne, relinquo in medio: rem expono dumtaxat. Apud civem quendam Aniciensem, virum bonum, cum Superiorum facultate, sepositam habebat Franciscus arcam ingentem frumento plenam, in egentiorum usus; ne quis eorum, se absente, ut hâc illâc ad Missiones crebrò excurrebat, extrema penuria conflictans destitueretur. Et mandaverat tunc quidem piæ feminæ cuiquam, ut eandem illam annonam se absente distribueret, ut cuique egentium opus esse, judicaret ipsa. Cùm rediisset, quæsi vit ex eâdem, quo statu arca esset: illa vix superesse quidquam nunciat: ingentem fuisse numerum eorum, quorum indigentia subveniendum fuerit: penè consumptum quicquid frumenti reliquerat. Ergo implenda arca denuò, inquit vir Deo fidens: *veruntamen, pergamus eò, & quid quantumque supersit, videamus.* Ubi venerant, arcam reſeratam mulier cui vix modicum quidquam superfuisse exploratissimum erat, videt stupens non modò plenam, sed

etiam penè exundantem: ne verò id pià
mortalium cujusquam fraude factum su-
spicaretur, vetabat rei conscientia: cum
ejuldem arcæ clavem ipsa penes se semper
habuisset. Idemque eadem vi contigerat
aliàs, hoc discrimine; quòd tunc frumen-
tum ad mediam tantum arcam excreve-
rat. Maleficia inter conjuges sustulit non
semel: hi postquam cum illo egerant, po-
nebant scilicet Avernalia illa odia, neque
inter se deinceps ullo modo averfabantur.
Sed nihil mirum, dæmonum artes sic elu-
sas, cum illos ipsos obsessis juberet excede-
re corporibus. Asseveravit quidem mihi,
Parochus Marlhensis, vir gravis, seriufque,
ad Franciscum, tunc ea in Parœcia ope-
ram dantem pervagatis Missionum exer-
citationibus, adductum hominem fuisse,
qui inde usque ab annis octo pro Energum-
meno toto eo tractu esset habitus. Nemo
erat qui non putaret infelicem non nisi vi
adductum, in Ædem sacram pedem illatu-
rum, ut toto eo intervallo contigerat, quo-
ties inciderat occasio: verum cunctos fe-
fellit opinio: neque reluctatus est, neque
vultum olve contorsit, sed placidè, ut de
turba

turba quilibet, accessit ad homologetium, confessionem instituit, sacram mentem adiit: ex eoque die infesto hospite planè liberatus, quietè pacatèque deinceps exegitatem.

§. I V. *Mira ad ejus tumulum.*

Nihil hîc præfari attinet: res tantùm exponendæ sunt, quæ si naturæ efficacitatem superant, cui tandem rectius æquiusve adscribi queant, quàm naturæ Auctori, per se efficienti quod naturalis causa nulla eum ad modum effecisset?

Vitalis Tochæus à S. Bonito cùm febris diuturnior vires juxtà, & succum omnem exhaustisset, medicinæque genus nullum esset, quod non adhibuisset incassum; ad sepulcrum denique Francisci perrexit ex voto. Ergo equum conscendit, vel potiùs in equum impolitus est, in quo cùm se sustinere præ virium imbecillitate minùs posset, adhibiti sunt famuli due, quorum alter hinc, illinc alter adminicularetur. Ad eadem sacram ubi pervenerat, nihil illi potius fuit, quàm ut toto corpore pronus se abjiceret ad tumulum viri Dei ingenti

con-

concepta fiducia, fore ut revalesceret. Nec spes fuit irrita: vix momenta aliquot sic jacuerat cùm exclamans, *En, inquit, me confanavit P. Franciscus Regis.* Et res sic prorsus habuit: domum se recepit & alacer, & pedes: neque enim in reditu equo uti voluit, quò acceptum beneficium esset illustrius, suisque ipsorum oculis cernerent obvii quilibet, quàm nihil deesset ad sanitatem.

Rusticanam mulierem ex Lalouescensis pagi vicinia gravissimi dolores torquebant ex ulceribus, quibus crus alterum à suprema parte ad imam scatebat. Ubi nihil profuisse remedia alia videt, secum ipsa constituit adire ad viri Dei tumulum, glabæque ex eo collecta ulcera confricare. Vix fecerat, cùm dolor remisit: &, quod planè mirere, ulcera intra per breve temporis intervallum coaluerunt, levi dumtaxat ad singula, cicatricis vestigio remanente, tanquam ad accepti beneficii memoriam.

Hemicus Morus, vir inter suos primarius, sic ex oculis biennium totum laboraverat, ut planè cæcutiret. Is cùm aliquando
aliunde

aliunde rediens, per Lalouesci pagum
 transiret, ædemque sacram esset ingressus,
 nec confiteri, ut optabat, sineret aliorum
 conferta multitudo, ibidem in Templo
 exiguum illum videndi usum qui supererat,
 prorsus amisit. Domum reversus, dum
 mœrens conturbatusque revolvit animo,
 quo loco alii præsidium singulare adver-
 sus morborum genus quodlibet nancisce-
 rentur, se gravius habere cepisse, non ta-
 men confidere destitit. Ergo aliquot post
 diebus expergiscens sub auroram in ea co-
 gitatione, fore ut P. Franciscus adesset, si-
 quidem ad ejus sepulcrum pergeret de-
 nudò, illico discussa tantillum caligine, lu-
 cem obscure cœpit videre, ut prius: mox in
 spem erectus aciei prorsus recuperandæ,
 equum conscendit, eodemque tendit re-
 ctà: ibi cum secundum confessionem, sa-
 cram Eucharistiam sumpisset, oculorum
 usum recepit illicò tam planè, ut oblatos
 libros legens, non modò characteres mi-
 nores, sed etiam exiles quantumlibet, aptè
 enucleatèque dispiceret, & scilicet longè
 perspicacius, quàm unquam aliàs. Hæc ut
 scripsi, ita cognovi ex illo ipso, coràm ex-
 ponente

ponente rei seriem, nec sine lacrimis, ex pio accepti beneficii sensu obortis.

Francisco Costæo, ex Paliarensi Paroecia, tam malè cruris alterum humor noxius affecerat, ut auctor esset Chirurgus, ne quid impendiorum ultrà in homines suæ artis faceret: neque enim existimare se, sanati deinceps ulcus ullo modo posse. Cùm interea ingravesceret dolor, quo noctes diesque deploratus cruciabatur; humanis præsiidiis valere jussis, ad divina confugere statuit, votoque nuncupato, perrexit ad P. Francisci tumulum: ibidem convaluit penè momento, uti ipse exultans coràm Lalouetensî Parocho, testibusque uno & altero professus est.

Catharina Borretta, ex Tensâ, oppido Aniciensis Diœcesis, cùm quinquennium ipsum gravissimo item cruris dolore vexata, cum pertinaci ulcere luctaretur; desperantibus Medicis, negantibusque effici quidquam salutare sua quidem arte posse, post dies novem, ad Patris tumulum piè religioseque exactos, dolore caruit.

Quinque & viginti annos ipsos gradiendi & usu & facultate destituta fuerat
 Maria

Maria Morifonia, ex contractione nervorum. Hæc cum ad commune tractus totius per fugium adiiisset, hoc est, ad pagum Lalouescensem, opem famuli Dei imploratura ex voto, continuo, Parocho ipso, laicisque compluribus spectantibus, firmo vestigio stetit.

Petrus Royerius Sacerdos aliquando rure agens, brachii sinistri tremore tanto detrepentè correptus est, ut nulla ratione sisti potuerit. Et tam inaudita fuit agitatio, ut cum subsequenti nocte cōsulto in illud brachium recubisset, excussus è lecto nulla alia vi nisi tremoris, expergefecerit. Quamvis famulos: n̄ cum accurrerent, herum reperiant semianimem. In illa destitutione deprehensus, cum remedium naturale nullum neque præsto esset, neque, si afforet, satis efficax fore videretur, votum nuncupat visendi Francisci tumulum, inque Aede sacra Lalouescensi sumendi sacram Eucharistiam, eo sacrificante Sacerdote, quem adhibuisset: ubi utrumque perfecerat, conquievit tremor, sic, ut libero deinceps usu brachii, ne levissima quidem mali tentatio unquam redierit.

Anto-

Antoniam Varassoniam, cum crus fregisset, jam à Chirurgis curatam nec incommodè, casus excepit gravior. Nam cum paulò post in publico fortuitò cecidisset, per jacentis corpus actum plaustrum, illud idem crus fregit denuò tam graviter, ut sine furcillis ingredi deinceps nequirit. Vover igitur ituram se ad P. Francisci tumulum: ibi sanata, nullo deinceps adminiculo eguit.

Catharina Martella cum penè oculorum usum amisisset, tanquam ad asylum ad eundem Francisci tumulum perrexit. Eo loco spei plena collectum pulverem ambabus manibus jactat in oculos, & quod mirere, nullo incommodo, nullo sensu doloris; ecce tibi cedere pedetentim vis noxii humoris, donec aliquanto post redintegrata penitus acies est oculorum.

Filiolam trimam paralyticam habebat Jacobus Conilius, vir honestus inter suos. Cum remedia alia tentata frustrà essent, parvulam ad Francisci sepulcrum deferri curat anxius parens: ibi postquam unà cum filiola dies novem exegerat pia mater, gradiendi usum aliquem accepit jam

tura

cum parvula: deinceps expedito gressu fuit.

§. V. Mira ad ejus homologeterium, & per tumuli cespitem.

AD prius quod attinet, ut vivus ad sacrum illud tribunal infinitam animarum multitudinem à morte peccati ad gratiæ vitam traduxerat; ita postquam è terris excessit, hoc honoris genere à Domino auctus est fidelis famulus, fortè singulari, ut à morbis quibuscunque recreentur qui ad illud cum fide cōfugiunt. Puella quidē quadrima, Anciensis, Ant. Brunelli filia, ex totius corporis debilitate cum miserabilem in modum langueret; putabant qui ei studebant, nihil se facere posse in ejus gratiam conducibilius, quàm si à Deo precarentur, eam ut tot, tamque gravibus incommodis per celerem mortem eriperet, quò ne grandior, infortunium suum vel persentisceret acrius, vel ferret impotentius. At non parentum mens eadem fuit: amore filiolæ incitante, piè instituunt novendiales preces ad Francisci homologeterium. Et jam iis initium fecerant, cum nescio quo negotio avocante, intermisere: at non impunè; nam obser-

vavere

vavere continuò, mali vim in filiola intendi. Ergo reperunt confestim quod interruperant, & tam opportunè, ut agrà, quæ nunquam antè insistere potuerat pedibus, non modò firma steterit, sed etiam expedito gressu incesserit, membrorum omnium usuræ deinceps egregiè compos. Et rei fama, ut fit, evulgata per oppidum, viduam quandam impulit, ut triennem filiollam ad idem homologeterium dies totidem continentes sistens, certas ibidem preces conciperet: earum tanta fuit efficacitas, ut nono die, perinde atque illa altera, puerulus expedite ingredi ceperit.

Joannis Belmontii pueri genam alteram, atque adeò vultum totum struma atrox sic depasta erat, ut Medicos Chirurgoſque spes prorsus deficeret tam fœdum ulcus conſanandi. Ad divina igitur præſidia confugiendum, ſapienti conſilio rati parentes, ad homologeterium idem ductare puerum diebus totidem conſtituunt. Dum orſi jam erant, decreſcere ſenſim ulcus, extremis partibus medium verſus coaleſcentibus paulatim: donec tertia luce à novendiali veneratione abſoluta, ſic obductum

ductum est, ut vix vestigium tantæ deformitatis apparuerit.

Quæ sequuntur, pertinent ad posterius, hoc est, ad glebam tumuli, seu ad pulvisculos in quos rediguntur particule teluris, è tumulo decerptæ. Florentia, puelula è pago Pratensi, nondum octennis, stomacho nihil ciborum, cujus-cujus generis essent, retinente, eò deducta erat, ut prorogandæ ipsi vitæ spes nulla superesset.

Eâ in desperatione porrecta potio est ex aqua, in quam & particula togæ Francisci infusa erat, & conjecti globuli aliquot ex sepulcri gleba: atque illud alexipharmacum fuit; convaluit continuo, uti ejusdem Parœciæ Sacerdotis, viri pii, testificatione constitit.

Ipsè ego cum nonnihil ex eodem cæspite dono dedissem, teminæ piæ, & religiosæ; asleveravit postmodum illa mihi, in una S. Paulini parœcia salutarem illum adversus morbos, homines plus triginta expertos esse. Ad ejusdem contractum facessivit Erysipelas, è cruce Benedictæ Baud, matronæ annorû quinque & nonaginta:

ginta:

aginta: impetigo ex capite virgunculæ cuiusdam; carcinoma ex labris extremis Joannæ Sauleæ.

Armandus Maltratus, ejusdemque filius Joannes, uno eodemque tempore periculosa febre laborantes, pristinae valetudini restituti sunt, simulatque aquæ pauxillum epotaverunt, in quam ex eadem terra globuli aliquot conjecti erant: Gabriela autem Dogonia, Armandi ejusdem uxor, globulorum aut eorundem aut similium affrictu, mammæ tumorem depulit cum gravi dolore conjunctum: nam quodam quasi pondere illicò delapso inferius, nihil ultrà nec doloris sensit, nec deprehendit tumoris: eademque epoto liquore in quem pariter globuli conjecti fuerant, foetum feliciter enixa est.

§. VI. *Mira alia, per lipsana ejusdem varia.*

NEquè hîc præfandum quidquam, quando res ipsa loquitur constitutum Domino Deo esse, per quidlibet *mirificare* servuum suum. Jacuerat dñi ex febre tertianâ, Claudia Nieria, mulier ex pago S. Juliani: hæc cum ab honesto viro, Giraudono

dono nomine, qui constitutum in pago La-
 lovescensi domicilium habebat accepisset
 frustulum ex toga Francisci, vix illud sibi
 admoverat, cum abscessit continuo febris,
 nulla vel levi deinceps tentatione. Idem
 prorsus mulieri nobili contigit, Dominae
 pagi Mont-regardii, eadem ope: idem filio
 fabri cujusdam ferrarii, ejusdem pagi inco-
 lae: neque iis modo, sed etiam aliis permul-
 tis, quos, inquit Scriptor Gallicus, sine le-
 gentium radio enumerare nequeam.

At in pago S. Andreae, cum puerum in
 gena momordisset canis, tamque alte den-
 tes infixisset, ut partem extimam totam ab-
 straxisset; tanto profluvio sanguinis, ut nul-
 la vi cohiberi posset, ne ferro quidem can-
 denti; in illa desperatione continuo mater
 frustulum ex eadem toga admover: & ec-
 ce, sistit continuo sanguis tam plene, tam-
 que perfecte, ut ne guttula quidem praeter-
 erea fluxerit: atque ut nihil ad rem sane
 miram illustrandam deesset, cum ad illud
 momentum clamores puer edidisset per-
 petuos, tum ex doloris acerbissimi sensu,
 tum ex metu ferri candentis; etiamsi fer-
 rum idem admovere Chirurgus ex artis

H

prae-

præscripto perrexerit, quò, si quid veneni
per vulnus interius insinuasset, educeretur
protinùs; puer, quantum quidem æstimare
licet, ad dolorem deinceps sensu carens,
læto serenoque vultu constitit; pauloque
pòst ad Lalovescensem pagum venit, gra-
tias benefico suo acturus. Sed non in eo be-
neficium stetit: soror quoque ejus propitiâ
Franciscum nacta est. Hæc cum unâ cum
matre adesset fratri tam fœdum in modum
vulnerato, muliebrem in modum, tum ad
cruoris profluvium, tum ad aspectum ferri
candentis, tanto concussa metu est, ut cum
prægnans esset, illicò tormina senserit pro-
pè eadem quæ sentire feminæ inter pari-
endum solent: & verò enixuram se putabat
ante statum tempus, à quo adhuc multum
aberat. Ergo inter miserabiles ejulatus
quos vis doloris extorquebat, mater par-
ticulam illius ejusdem frustuli, unde con-
sanatus filius erat, appendit collo filix: nec
mora, abscedente momento sensu dolo-
ris, declinavit statim in somnum oculos:
ex eo rediens, *Consanavit me*, exclamat,
P. Franciscus Regis. Eademque illa cum alias
tanto capitis dolore torqueretur, ut noctes
diesque

diesque clamoribus obtunderet domesti-
cos, nullam quietis partem capiens; cera
ductili, gossipio videlicet inducta, caput
in orbem cingit, eandem post, ad sepul-
crum P. Francisci laturam pollicens, quò,
ibidem ardens consumeretur: delectatus,
ut quidem eventus docuit, feminæ religio-
sæ pietate Dei famulus, dolorem fugavit
continuò.

Virgo quædam ex phrenesi insaniens, &
tumultuosè quidem, postquam humana
remedia alia ex aliis, menses ipsos qua-
tuor adhibita frustrà fuerant, à piis paren-
tibus sortem filix miseratis ducta est ad di-
versa Sanctuaria, nullo levamento: de-
mum, ubi ad Francisci tumulum devenit,
sanæ menti restituta est: quoque constaret
in posterum sanitas, donata est ejusdem
togæ frustulo, quod gestaret assiduè: nec
vana provisio: id usurpans, firma & mentis
& corporis valetudine usa deinceps est.

Agitabatur furiis exitialibus filius ma-
tronæ nobilis, eò periculosius, quò pro-
pius à morte aberat. Horrebat videlicet
ad eam mentionem, & quamvis annos
tantùm undecim natus, tamen excandesc-

H 2

bat,

bat, quoties jubebatur comparare se ad exitum imminens, obstinateque rejiciebat hortationes piæ parentis, de sempiterna filii salute, ut par erat sollicitæ. Quid faceret mater in illa propè desperatione? Venit in mentem, habere se frustulum togæ P. Francisci Regis: illud admoveit tam miserabilem in modum furenti, simulque augustæ Jesu & Mariæ nomina eloqui jubet. Nec refragatus est puer: utrumque ex templo placidè invocat; & suavissima quadam mutatione dexteræ Excelsi, qui antè nec de Deo, nec de futura vita sermonem admittebat ullum, nunc ad Dei castum timorem ultrò adstantes cohortans, quò postquam vitam moresque ex Christiani officii præscriptis moderati fuissent, felicem è vita exitum nanciscerentur; obdormivit in Domino.

§. 7. *Multi eo invocato convalescunt.*

NON contactus modò ipsanorum famuli Dei, neque tantum cæspes tumuli salutaris iis fuit, quos diximus, sed etiam plerique eo eminus, ut ita dicam, invocato convaluerunt, & maximam partem statim.

Id

Id adeò in se experta, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Blanca, Castanerii cujusdam filia. Hæc cum febridiutina conflictaretur, vota complura parentes quibus perchara erat ejus causa nuncupaverunt, in iis ad Sanctuarium Deiparæ Montis-acuti, mox ad Vallis-floridæ, utrumque irritum. Patrem, atque adeò filiam cognatione attingebat Parochus Lalovescensis: is ubi de mœrore alterius, de alterius morbo audivit; vovit se ibidem in sua Ecclesia in qua famuli Dei corpus jacet, Sacrificium oblaturum Deo, in gratiam ægrotantis consobrinæ: vix fecerat, cum febris abscellit prorsus. Id cum vidisset ancilla, quæ eodem & ipsa morbo conflictabatur, voto ad opem P. Francisci implorandam nuncupato, momento convaleuit.

Ad ejusdem tumulum cum certum hominem misisset Maria Isabella Arnaldia, & ipsa implicata periculosa febre, qui eo loco faciendum Sacrum laborantis causa curaret; observatum, quo tempore Sacrum illud fiebat, remittere paulatim febrim cepisse; post, abscellit penitus.

H 3

Vulnus

Vulnus luculentum in ventriculo acceperat vir inter suos honesto loco: illud cum non satis aptè curatum à Chirurgis esset, consecuti sunt dolores tam exitiales, ut pronunciarent Medici, actum esse saucio. At is ad certiora remedia conversus, P. Francisci opem inclamat: gratas preces fuisse ostendit eventus: momento febris exacta, sedati prorsus dolores, non in præsens modò, sed etiam in consecutum tempus. Magdalena autem Grioteria, postquam votum conceperat periecturam se, si convaluisset, ad Francisci tumultum, morbo soluta est incognito Medicis eodem, & tam gravi, ut toto fusus corpore, membrorum usum propè omnem ademisset, totum quinquennium.

Feriâ sextâ Paratceves anni millesimi sexcentissimi quadragessimi septimi, cum Tensæ (oppidum est Aniciensis diœcesis) confessionem excepisset è Societate Jesu Sacerdos, pueri duodennis, valentis quidem ingenio, at cruribus ita debilitatis, ut non nisi ligneis fuleris adhibitis gradere-tur tres jam menses; auctor fuit, siquidem gressus firmitatem recuperaret, daret ope-
ram

ram literis. Pueri mater cum auditione accepisset, post Ferias Dominicæ Resurrectionis Sacerdotem eundem Lalovescum, ad P. Francisci tumulum proficisci velle, voto cuiusdam exolvendo; apud eum institerit vehementer, filium ut suum Sancto Patri, (sic enim appellabat trito jam more, de quo antè diximus) commendate sacrificii tempore ne gravaretur. Pollicitus se facturum, quò decreverat perrexit Sacerdos: & ecce tibi, Feriâ quartâ hebdomadæ Paschalis ejusdem, sub horam octavam matutinam, quo ferè tempore ipse sacrificium peragebat in Lalovescensi Ecclesiâ, lignea illa fulcra ultrò puero exciderunt; quæ quidem puer paulò post, expedito jam gressu firmus, eodem ad Francisci sepulcrum detulit, anathema recuperatæ firmitatis pedum atque incessus.

Anicii femina quædam doloribus gravissimis tres jam menses conflictata ex noxii humoris malignitate in crura delapsi, eademque sic occupantis, ut affirmarent Medici peritissimi quique, nunquam eam expedito gressu fore; lignea itidem fulcra facienda sibi curaverat, quibus in illa im-

becillitate uteretur deinceps. Sed cum sub id tempus recordata mulier esset, sese, cum alio in morbo vovisset nescio quid, ad opem Francisci apud Deum impetrandam, conceptum votum exsolvere neglexisse; oborta suspicione, idcirco fortè se gradiendi facultate privatam, quod superioris accepti beneficii immemor, necdum voto satisfecisset; sensum animi sui tum conjugii aperuit, tum parentibus. Hi, superioris voti conscii, facilè deducti sunt in eandem sententiam: ita tunc quidem delictum confessi, veniamque à Domino Deo precari, polliciti sanctè sunt, se confestim quod votum esset impleturos. Ergo cum Lalovescum illicò conjux profectus esset, ubi primùm pedes in fines Parœciæ immisit, ecce tibi derepentè commoveri ægra toto corpore, ac vehementer quidem: quæ agitatio ubi resedit, levatam se sensit continuò, ac postridie tam commodè affecta est, ut nullius adminiculo venerit ad templum Collegii, gratias Deo, Deique famulo actura, pro tam illustri munere. Hæc ego ab illa ipsa accepi, addente, nihil se ex ea die neque debilitatis neque doloris sensisse in cruribus.

Joan-

Joanna Rignolia, cū è dextro crure laborasset biennium jam totum, coram Annæo Magistratu, testibusque ad id convocatis jurata affirmavit, cum nihil opis ex humanis remediis nacta esset, unde remitteret vis doloris, se contracto jam crure confugisse ad opem simul Reginae Cælium, simul P. Francisci, eamque in rem curasse uno eodemque tempore sacra duo fieri, alterum in Templo B. Mariæ Annææ, alterum in Ecclesia Lalovescensi: dum sacra ea fierent, sensisse se vigoris quiddam in ejusdem cruris nervis, qui vigor tamen cum stupore quodam conjunctus fuit, tamen tantum addidit virium, ut eadem luce ingredi ceperit, & ad Templum B. Mariæ perrexerit pedes: post tres hebdomadas etiam ad Lalovescensem pagum, postquam eius ad justam longitudinem redierat.

In diœcesi autem Apamiensi, Filius Fabasii, viri illustris inter suos, cum sesquimenssem ex nervis distortis tantos esset dolores perpeffus, ut quoties ægrum corpus in partem alterutram versare cogebat necessitatis ratio, ad eorum conspectum qui

H 5

id offi-

id officii exhibitori apparebant, in ejulatus erumperet, gravissimæ cujusdam formidinis indices, vixque intra horam dimidiam absolveretur id quod momento fieri in sanis solet; pronunciantibus Medicis duorum alterum eventurum, aut emoriturum brevi ægrum, aut si viveret diutius, saltem usu pedum gressusque cariturum in reliquum tempus ætatis; accersitus Confessarius ægrum jubet de parentum consensu votum simile nuncupare. Vix fecerat, cum nullo doloris sensu tangi femur a Confessario sivit, atque adeò premi semel, iterùm, tertio: quæ res cum Confessarii fiduciam erexisset, prehensum manu ægrum jubet in medium corpus assurgere. Nec cunctatus æger paret, patre, matre, consanguineorum permultis spectantibus, & scilicet sancto quodam horrore percussis, sic, ut testificentur ipsi, capillum in capite obriguisset. Ergo provolutis continuo cunctis in genua, solennis gratiarum Hymnus recitatus est, ægro in eodem sicut perstante: mox abcedente febre, cibi sumendi successit appetitio: ac rupta de hinc ulterò exitiali vomica, erupit humor noxius.

Nunc

Nunc surgit æger, (subdit Auctor Gallicus) graditurque nullo fulcro, præstolans dum Dominus Deus perficiat, quod ante menses aliquot cœpit facere. Id verò cum auditione accepisset Monialis quædam Gimontiani Monasterii, à Medicis conclamata, ad eadem præsidia confugiens repente convaluit.

Nec minùs feliciter opem P. Francisci imploravit femina illustri genere. Hæc cum menses ipsos quatuor cum dirâ febris colluctata esset, quæ quotidie, postquam horas octo desævierat, penè exanimem relinquebat; statim atque se sepulcrum famuli Dei adituram voverat, si revalesceret, momento sanata est. Quare accepti beneficii memor, paulò post quo voverat perrexit, comitante matre, & aliis aliquot reitam miræ testibus. Catharina item Sausera dolorem vehementem sinistri brachii sesqui-mensem sic tulerat, ut vitam exosa, mortem in momenta concupisceret, tanquam extremum mali levamentum, Medicis circa mali causam cæcutientibus, aut nihil remedii afferre valentibus. Quamobrem ad opem potentiozem imploran-

dam versa Catharina, statuit ad P. Francisci
venerationem Sacramenta Pœnitentiæ
Eucharistiæque obire: atque hæc demum
medicina valuit; momento conlanata est,

§. VIII. *Valetudo multis restituta minus
subitò, at mirè tamen.*

ORdiri lubet ab eo, quod in me ipse ex-
pertus sum: nam restitutæ mihi sani-
tatis adjuncta talia sunt, ut digna putem
quæ locum nanciscantur inter illa plurima,
quæ per P. Franciscum effecit Deus sanè
mirabiliter. Noxii catarrhi vis exundans,
tussim mihi creaverat sanè vehementem.
Hæc cum menses propè quatuor tenuisset,
consecuta est, ut assolet, hæmorrhagia
(a) nec mediocris: & debilitatis viribus
tam pertinaciter exonerare sese infestus
humor in pectus pergebat, ut me penè
opprimeret, nec nisi ægerimè ducere ani-
mam possem. Tandem ubi sanguis cum
puitâ mixtus in pectore computruit, pu-
rulentum quiddam excreate cepi tantâ
copia, ut vix exprimere ipse possim. Ita,
cum

(a) *Copiosus immoderatusque sanguinis effluxus
Blutgang.*

cum eo statu fuisset dies quinque & quadraginta, debilitatus ac languens, nec obscure morbus ad phthisim seu tabem vergeret, cujus jam tum indicia tam multa existebant, unus è Nostris, qui ad me officii & charitatis causa venerat, auctor magno-perè fuit, ut me P. Francisco Regis bonæ memoriæ commendarem. Eam orationem sic accepi initio, ut satis præ me tulerim, id consilii inopinanti suggeri: proinde, aliquandiu silens apud me deliberavi, monenti Sacerdoti acquiescerem, necne. Tandem concessi in ejus sententiam, & tanquam id consilii à Deo potius, quàm ab homine proficisceretur, è vestigio vovi, me, si quidem Superiores probarent, ad ejus sepulcrum sacrificaturum: paucis post diebus, addidi me ejus quoque Vitam scripturum. Eventus is fuit, ut postridiè quàm posterius hocce adjunxeram, vix morbi pars decima superfuerit. Videlicet ex eâ luce nihil puris excreasse me, etiam alii observarunt: post dies autem decem, iter suscepti ex equo, leucarum quadraginta, & quod excurrit. Et magis magisque confirmabar in dies: donec mea imprudentia immodi-

cis susceptis laboribus in morbum eundem recidi, cujus quidem quis sit eventus futurus, haud scio; illud scio, debere me P. Francisco totum usuræ vitæ triennium; quod si suis apud Deum precibus felicem obitum mihi conciliabit, tum verò plus illi me debere fatebor, quàm si vitam diuturniorem impetrasset.

Testatur Ludovicus Penellus, civis Aniciensis, cum uxor sua tres ipsos menses jacuisset, omni omninò membrorum usu destituta; & scilicet absque spe ulla pristina recuperandæ valetudinis; voto se promississe, illam, si convalesceret, ituram unâ secum ad tumulum P. Francisci: ubi conceptum est, statim levamentum ingens ægræ accessisse, intrâ perbreve spatium temporis eam prorsus convaluisse: & verò post sex menses votum exolvit, quarto Idus Junii, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto.

Jacebat in Annonæo Monasterio S. Clarae, virgo nobilibus natalibus, ex febre continuâ, & tam periculosè, ut de ejus vitâ adû esse Medici pronunciarent. Cum per id tempus Missionem eo loco obirent Noltri,
petiit

petiit à Superiore Missionis Abbatissa, aliquem è nostris Sacerdotibus mittere ne gravaretur, qui ad P. Francisci tumulum virginis illius causâ sacrificaret. Fecit Superior quod piè flagitabatur, misitque qui Sacrum faceret: dum illud peragitur, ecce tibi abscedere febris continuò, ad horam nonam matutinam: ex eo, Monialis planè secunda valetudine semper usa.

Filiolus viri nobilis, sesqui-mensem admodùm natus, tantum non pro mortuo habebatur, horas ipsas quatuor & viginti sic affectus, ut vix vitæ indicium ullum superesset, nisi quod utcunque adhuc ducebat animam, oculis ceteroqui penè inversis. Hunc pius parens precibus P. Francisci vix commendaverat, cum recreari sensim infantulus cepit, & virium aliquid nancisci, donec planè revaluit. Id adeò pater ipse scripto consignavit, chirographoque confirmavit suo, quod apud Parochum Lalovescensem extat.

Antonia à Domo-novâ femina nobilis, voto simili depulit febris ardores, qui totum mensem corpus depastierant, sic, ut Medicorum iudicio spes vitæ nulla reliqua

qua

qua foret. Joanna Gabieria, femina item nobilis Turnonensis, eadem ratione emerfit ex febris heclicâ, postquam de ejus vita desperatum erat à Medicis.

Petrus Lamicus, Jacobi filius, Aniciensis, exitiali pleuritide conflictatus decem ipsos dies, atque adeò conclamatus à Medicis, ut qui jam sensuum omnium usu careret; post horas octo quàm voverat pater, eum se, si revalesceret, ad P. Franciscitulum ducturum, cibum sibi porrigi petit, sanus ac valens.

Laurentius Petit, annorum admodum trium puerulus solutus erat derepentè febris trimestri, ex voto videlicet à parentibus concepto, quod in venerationem P. Francisci cedebat. Cum id parentum eorundem negligentia exolutum non esset; ecce tibi post tres menses parvulus idem morbo corripitur tam insolenti, ut intestina defluerent. Curaverant eum nequidquam Medici, menses ipsos quatuor; ac tum demum recordatus Pater se superioris voti reum, votum non exoluisse; veniâ à Domino Deo suppliciter petitâ votum instaurat denuò: id ubi perfectum, ultro
intestina

intestina intro se receperunt, puerulus post horas quatuor & viginti planè convalluit.

Prædicat Gerentonius, vir gravis, in suprema Tolosanâ Curiâ patronus, cum ad extremum vitæ periculum ex vehementi febre devenisset, se post votum nuncupatum in Ecclesia Lalovescensi confitendi, sacramque sumendi Eucharistiam, febrî solutum continuò.

Gabrielis Poncetî, civis Aniciensis uxor, Jaquelina Blanchardia, postquam feliciter enixa partum erat, aliquantò post, unde, nescias, correpta est tam atroci symptomate, ut tanquam distenta in equuleo, sic gravissimos toto corpore dolores persentisceret, distortis etiam membris, ut rumpi commissuras diceret, atque è suo quamque loco exilire, vultu tantum non posticam in partem obverso. Hæc tanta tamque insolens agitatio, usum jam sensuum omnium ademerat deploratæ: & pro mortuâ habita esset, nisi pulsus cordis exiguus eam indicasset adhuc vivere. Ergo tentatis adhibitisque frustra remediis omnibus, vovit vir, siquidem revalesceret ductu-

ducturum se eam ad P. Francisci tumulum, si duci posset; sin, iturum se saltem. Nec vana spes fuit: post paulò locuta femina est, post horam prorsus convaluit, nullo tantæ vexationis remanente vestigio, præter debilitatem aliquam.

Hæc propè in viciniâ; è remotioribus autem locis multa hinc inde accepimus haud minus miranda. Cognovimus recens, ex literis datis Bruxellâ, de mense Aprili, anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi tertii, Rectorem Collegii nostræ Societatis, urbis ejusdem, postquam illius vires sic afflixerat febris nihil remittens, ut de sacrosancto Viatico illi administrando deliberaretur, quærenti uni è Nostris, numnam è re foret opem implorare S. Geroldi Martyris, cujus vis apud Deum gratiosa in depellendis febribus maximè eluceat; *Quidni verò potius, subjecisse, confugiam ad unum è Societate, P. Franciscum Regis, de quo tam multa, tam mira nuper nobis memorabantur? Ad ipsum per preces vota-que in præsentia adeundum mihi censeo: & faciam, propitio Domino, ubi primùm mali vis paululum imminuta, utcunque quietum animo esse siverit.*

Vix

Vix ea pauca dixerat, cum minui febrim
sensit; mox in portionem infundi jussit glo-
bulos aliquot è beati tumuli terrâ, & non-
nihil reliquiarum ejusdem è collo suspen-
di, voto se obstringens interim, quotidie
ad certum intervallum temporis recitan-
di certas preces: simul Antuerpia deferri
Imagines complures ejusdem curavit, tum
in Nostros, tum in externos distribuendas.
Et ecce tibi secundùm votum in lenem
somnia æger lumina declinat: experre-
ctus, ardentem illam vim febris multum
remisisse agnoscit, quâ etiam paulò post
planè solutus est.

Trajecti autem, cum eodem anno vir-
go quædam unius è Canonicis soror, fe-
bri item torqueretur tam contumaci, ut
Medici de agræ vita desperarent, post-
quàm ad pectus imaginem Francisci ad id
allatam applicuerat, febris abcessit con-
tinuò, paulo post ægra planè convaluit. Et
mense Junio anni ejusdem, mercator qui-
dam Dunckerkensis cum Bruxellæ ma-
ligna febre conflictaretur nullis cedente
remediis, jamque Sacramentis Ecclesiæ
tali tempore usurpari solitis munitus, ad
exitum

exitum è vitâ se se compararet, Sacerdos è
 Nostris auctor fuit, voveret, curaturum se
 sacrum unum fieri ad P. Francisci venera-
 tionem: id cum peractum esset postridiè,
 primum febris ardor remisit magnoperè,
 tum brevi successit sanitas. Ibidem Bru-
 xellæ Coadjutor quidam è Nostris ex
 atroci pleuritide deductus jã ad extrema,
 atque adeò sacro Viatico instructus, lalutari
 quodam instinctu P. Francisci opem
 poposcit, flagitavitque tradi sibi illius ima-
 ginem: ubi id factum, statim è letali illo
 morbo emerfit, de mense Aprili. Idemque
 cùm sequente Junio ulcus in femore exci-
 tisset tam noxium, ut gangiæna consecuta
 sit, candens ferrum admoveri sibi sivit, ex-
 cidendis emortuis carnibus, ne labes latius
 ferperet: & tam multoties iteranda sectio
 fuit, ut qui aderant, cohorrescerent uni-
 versi: Ipse, cum ad ulcus febris vehemens
 accessisset, tamen benefici sui recordatus,
 ejusdem imaginem reposcit, vovetque in
 annum, certum precum quotidianarum
 numerum, P. Francisco sibi apud Deum
 propitiando: quoque certius celeriusque
 remedium è cælo accerferet, augustæ quo-
 que

que Deiparæ patrociniū imploravit. Exitus is fuit, ut abscesserit febris continuò, femur paulatim corroboratum sit.

Nicolaus denique Pontius, domesticus Ducis Lotharingiæ, ejusdemque domesticarum rationum antigraphæus, (a) cum menses ferè decem febre conflictatus esset, quæ in phthisim denique degeneravit, inque quotidianam hæmorrhagiam, sine spe recuperandæ valetudinis; per Quadragessimam anni ejusdem, millesimi sexcentissimi quinquagesimi tertii, P. Claudius Veroncortius, Ducis ejusdem Confessarius, narravit, ipsum se Lutetiæ, mense Septembri anni superioris, P. Francisci Regis ope, postquam jam à Medicis conclamatus erat, ex morbo letali convaluisse. Ea oratio cum addidisset animos, vovet Nicolaus, se, si quidem febre liberaretur, deinceps sacram homologesim obiturum, sumpturumque sanctam Eucharistiam, quo die P. Franciscus è vivis excessit, hoc est, pridie Cal. Januarii: addidit Veroncortius, se eam ipsam in rem sacrificaturum novies, ita tamen si Nicolaus intra

dies

(a) *Segen oder Todtschreiber.*

dies novem convalesceret, per quos Nicolai uxor quotidie certum precum numerum viri causâ persolveret, alioqui novem illa lacra non facturum. Et ecce tibi, dum pia mulier preces peragit, die septimo prorsus convaluit conjux: atque id Nicolaus ipse sincerè coram Deo affirmavit non semel.

F I N I S.



AVCTARIVM LATINI
Interpretis.

Non est consilii mei, quidquam hic aut præjudicare, aut afferre præjudicatum, quod ad Venerabilem Servum Dei, cuius Vitam Latine verti, Sanctum aut Beatum declarandum pertineat. Addo item, ut ubique sententia quàm maxima potui fide institui, sic non usquequaque reddidisse me verba verbis: quod quidem paulò liberius usurpare institui, ex quo didici Tolosâ, P. Claudium la Broûe,

Broüie, *Gallica Vita Scriptorem, è vivis excessisse.*
Quod verò ea ex parte detraxi, supplevi aliunde
cum fœnore, AUCTARIUM adjungens.

Quæ deinceps adjungemus, tametsi
 nondum typis excusa, non tamen, ut qui-
 vis judicabit, minori fide digna censenda
 quàm quæ jam prodierunt: quando missa
 Tolosam sunt à Parocho Lalovescensi,
 cum præfatione, ne verbum quidem à se
 additum ad ea quæ tabulis Lalovescensi-
 bus consignata sunt; Tolosâ ad me, à R. P.
 Guillelmo Chabrono, tunc Collegii Tolo-
 sani Rectore, viro gravi, & pro suo merito
 singularis auctoritatis: paucula adjecta
 aliunde, aut Medicorum Chirurgorum-
 que, aut eorum ipsorum qui in se ipsi ex-
 perri sunt testificatione firmata.

Maria Auracia ex pago S. Theofredi à
 Monasterio, cū de mense Junio anni mille-
 simi sexcentissimi quinquagesimi primi co-
 mitē se dedisset illustri feminæ, uxori Dy-
 nastæ Veyracensis, venerationis ergò ad
 tumulum Francisci Regis pergenti, ubi
 deventum ad locum est, ex muliebri levi-
 tate per jocum dissipare glebam cepit, quæ
 sumulum contegebat. At non impunè:
 conti-

continuò dextra cum brachio toto gravi dolore correpta est : cujus causam illa in suam propè impietatem referens, ibidem in preces prostrata ubi aliquandiu oraverat , illicò omni doloris sensu liberata est.

Eodem anno Anna Perelia ex vico *Molas*, Parœciæ S. Valerii, quo die accessura quartana erat, quâ totos octo menses fuerat conflictata, proficisci Lalovescum cupiens unâ cum vicinis mulieribus aliquot, ad P. Franciscum religiosè venerandum; feбри prorsus caruit , eodemque cum pio comitatu pervenit, itineris parte maximâ confectâ pedibus, quod tamen iter, leucarum quinque Gallicarum est.

Eodem itidem anno Maria Molina, ex Parœciâ Marlensi , Diœcesis Aniciensis, in renum & cordis dolore tam gravi, ut immensos extorqueret ab ægra clamores , statim atque votum filia causa mater ad Francisci decus nuncupaverat, levata magnoperè , post dies aliquot planè convaluit. Denique Franciscus Verasius ex pago S. Juliani , postquam tertianâ sesqui-mensem laboraverat, quo momenta

momento simile votum edidit, febrillicò caruit.

Anno autem millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, quarto Idus Septēbris, Claudius Chamblasius, Petrusque filius, Aniciensis Diœcesis, diurnâ epilepsiâ planè liberati sunt, postquam se Lalovescum venturos voverant. Benedicta Tranchana, Diœcesis ejusdem, Lalovescum venit III Non Jun. ex voto, quod febrilicò, quâ sesqui-annum totum vexata fuerat, liberata esset, statim atque ad eum modum opem Francisci imploraverat.

Joanna Quina, Diœcesis ejusdem, gravi dolore genæ alterius torquebatur (dextrum sinistrumve esset, haud prodidit Relatio Gallicè scripta: quod idem semel dictum, intelligendum locis aliis, quoties à me similia non ponuntur distinctiùs) eò majori mentis angore, quod causam mali ab se ignorari, Medici profitebantur. Itaque parum eorum arti confisa, ad medicinam longè efficaciorē confugit, hoc est, ad votum, quo se sepulchrum Francisci visuram recepit. Neque sefellit sanctè concepta opinio: è vestigio dolor remisit, post, abcessit penitus.

I

Eti-

Elizabetham Ferretiam, ex pago Plasio, Archiepiscopatus Viennensis, sic impotem sui reddiderat dementia, ex causâ ignotâ, ut ad deponendas in Æde sacrâ vestes sese compararet. In istâ tantâ deliratione opem implorat miseræ conjux, Francisci famuli Dei, ab astante Sacerdote comprecans, ut Sacrificium uxoris causâ offerret. Cum is se facturum recepisset feriâ tertiâ hebdomadæ proximè sequentis, eâdem luce compos esse sui cepit Elizabetha, sic, ut ex eo tempore, nullum penitùs in eâ delirationis vestigium extiterit.

Joanna Lova, ex pago S. Romani, Lugdunensis Diœcesis, ad Francisci tumulum deduxit, seu potius vectandos curavit filios tres, quorum natu maximus, quinquennis, alter quadrimus, ultimus menses durabat duodeviginti natus erat. Horum nullus gradi ad eam diem potuerat, nisi quod quinquennis ille ad annum ætatis alterum, utcumque pedes ac gressum moverat, mox morbo correptus, gressus impostotostres annos consequentes remanserat: natu autem minimus sic prætereâ dissolutis erat artibus, ut neque erigere aut movere

movere caput, neque cruribus niti, aut re-
 nibus posset: ut vix ac ne vix quidem spe-
 raret mater, posse se eum domum reduce-
 re cum fratribus; quippe quem in itinere
 penè vita defecerat. Ergo cum Lalovescum
 pervenisset VI. Cal Junii, anni ejusdem,
 ubi secundum Sacrificium quod in sacello
 in quo famuli Dei corpus facet, fecerat ex
 matris voto Sacerdos; idem ille infantu-
 lus nondum bimus prorsus se convaluisse
 prolixè indicavit fronte hilari, oculis læ-
 tioribus, & toto habitu vultus corporisque
 prorsus mutato, adeò ut matri risu tenerio-
 re blandiretur. Fratres duo, qui insistere
 antea pedibus nunquam potuerant, firmo
 vestigio inceslere jam tum in spectantium
 oculis.

Antonilla Lorgæa, Viennensis Diœce-
 sis, postquam sexennium totum jacuerat
 ex morbo, tam atrociter saviente, ut ne
 assurgere quidem posset, aut niti pedibus;
 post sacra novem singula singulis diebus
 Lalovesci peracta ex voto, sic è contumaci
 morbo emerfit, ut in spectantium oculis,
 qui suprâ centum aderant, fulcra lignea
 quibus diu usa fuerat, in Æde sacrâ ibidem

reliquerit, anathema recuperatae artuum
firmitudinis, pedum imprimis, quos ex eo
momento expedite ad gressum adhibuit.

Anno autem millesimo sexcentesimo
quingagesimo quarto, Clara Garneria,
Annonæ cum capra & brachiis esset &
cruribus, quæ infirmitas à Medicis in pa-
ralysim degeneratura putabatur, neque re-
medium ullum è naturalibus procederet,
yovit se Lalovescum ad tumulum P. Fran-
cisci perrecturam. Votum consecuta con-
tinuò sanitas mente Septembri: Clara,
(quâ de causâ morata tandiu fuerit, non
reperio) anno consequenti votum exsoluit
Lalovesci, V Non. Majas.

Joannes Benedictus, ex pago Carlato,
in Alvernis, Diœcesis S. Flori, chirographo
suo confirmavit Lalovesci III Non Jun-
se, cum gravi dysenteria menses viginti
cruciatus fuisset, desperantibus Medicis,
ægrique vitam conclamantibus, statim ar-
que voto se obligavit adeundi ad P. Fran-
cisci tumulum, habuisse melius, dein pro-
grediente die planè convaluisset. Idemque
piâ operâ amici causa defungens, ad idem
Patris sepulchrum attulit, quod Antonius
Can.

Cantornetus vicinus ex eadem Diœcesi oblatum se voverat, (quid fuerit non reperio) quòd ejusdem servi Dei ope à gravi febre emerfit, cum populari quadam lue conjuncta, contrà Medicorum aliquot sententiam, qui mortem ex eo consecuturam pronunciaverant.

Joannes Montalit puer, unà cum Mariâ germanâ sorore, cum antea gradiendi facultate caruissent, ubi primum Lalovescum pervenere, hoc est, Non Junii, quòd Francisci apud Deum patrocinium implorarent, sermo vestigio ingredi ceperunt: Catharina autem Varithia cum neque stare posset, neque verò sedere ex imbecillitate membrorum; voto ad idem sepulcrum nuncupato, confanata illicò, eadem die illud exoluit.

Catharina Montagnonia, Aniciensis Diœcesis, tam impotens artuum mansit biennium totum, ut cum stare nullo modo posset, perpetuò subsideret, prono ingenua capite. Hæc cum deducta Lalovescum esset mense Junio, ibidem post homologesim ritè peractam, sacrâ synaxi

obitâ, domum rediit erecta & valens, cum stupore popularium omnium.

Antonius Blachæus, Lugdunensis Tabellio publicus, sua ipse manscripsit, chi-rôgrapho que confirmavit, se, cum de mense Majo in febrim incidisset, unde mors metuebatur; convaluisse ex voto ad tumulum P. Francisci veniendi: quod quidem votum Lalovesci exolvit VII Cal. Sext. anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi quinti.

Anno M DC LVI Petrus Chambaldus Doctor in Jure Civili, actorque causarum, restatus est Lalovesci, Ignatium Chambaldum filium, cum ante quadriennium, hoc est, anno M. DC. LII, in Tur-nonenſi Collegio daret operam literis, in periculofam febrim incidisse: eâ cum laboraret quartum jam diem, Professore è Noſtris quo Magistro utebatur, piè ſuggeſſiſſe, uti ad opem P. Franciſci Regiſ confugeret. Cum annueret æger, ſimul hauſit cum aquâ pulviſculi aliquid ex ſepulcro ſamuli Dei; ſimul vovit, ſe, ſiqui-dem è morbo emergeret, Laloveſcum iturum, ibidemque Sacrum curaturum, gra-
ciis

eiis Deo agendis, Confessionisque, & sacrae
 Eucharistiae Sacramenta obiturum. Vo-
 tum consecuta sanitas; post quatrimum
 virium fatis habuit ad equitandum; ita
 cum patre domum repetiit valens, nec ul-
 tra à febris tentationem ullam sensit. Id
 adeò testatus patet ipse est Lalovesci, suo-
 que, & filii chirographo confirmatum esse
 voluit, Nonis Masi, tarditatem suam meri-
 to incusans, qui tandiu differri passus sit
 voti solutionem.

Antonia à Rupe cum graviter ex ischia-
 de laboraret, neque post Sacrum noven-
 diale ad S. Bartholomæi venerationem
 peracto, haberet melius, nedum à re me-
 diis aliis levamenti quidquam nacta esset;
 triduo, quatrduove post, quàm Laloves-
 cum perrecturam se voverat, planè conva-
 luit. Votum ibidem Lalovesci Cal. Julii
 exolutum.

Margaritæ Baffoniae, Aniciensis, vexata
 dolore acerrimo, in dextro femore, late n-
 te sic, ut illius causa à Medicorum nemine
 deprehendi potuerit; postquam dies ipsos
 quindecim caruerat & cibo & potu, quip pe-
 cū neutrum posset admittere; oblatū præ-
 I 4 pro perè

properè carnis frustulum, penè vitam ademit : atque adeò cum jam jam animam actura videretur, sacro oleo ad extremum certamen inuncta est. Dum nihil nisi mors expectabatur, ipsa ultro potrigi sibi cum aquâ pulvisculum jubet ex P. Francisci sepulcro: & vix hauserat, ejusdem opem piè & religiosè implorans, cum derepentè convaluit. Quare Lalovescum cum furcillis profecta, ad vorum quo se obligaverat persolvendum, ibidem pulvisculum extumulo ebibit denuò cum frigida: pauloque post, somnum cepit, quo dies noctesque quindecim prorsus caruerat: ex eo expergiscens, continuò furcillas deposuit, IX Cal. Aug.

Jacobus Rivalius, Aniciensis Diœcesis, cum triennium totum paralytium passus esset tota dextra parte corporis; ad P. Francisci tumulum deportatus, post dies novem ibidem piè & religiose exactos, domum se recepit valens: remansit tantum ea pars aliquantò altera debilior. Id ipse ibidem Lalovesci testatus est, III Cal. Sextil.

Christophorum Perretum adolescentulum ex nobili familia, sic deformaverat
fistula

fistula, quæ ad dextrum latus infrà mamillam extiterat, totumque jam biennium pure stillaverat per diversa capita duo, ut gibbum corpus esset. Et nulla peritia Medicorum, nulla Chirurgorum industria, medicinam facere potuerat, quantumcunque mater, filii peramans adhibuisset curæ & sumptuum: donec voto concepto ad servi Dei venerationem & decus, consanatum ulcus est. Votum exortum Lalovesci Non. Octob.

Benedictus Gamponerius, ex Partecia S. Romani, Diœcesis Lugdunensis, laborabat molesta debilitate nervorum dextri brachii; quippe quæ cum gravi dolore conjuncta esset. Cum aliquando Vitam P. Francisci lectitaret, ecce tibi derepentè dolor antè satis molestus, ingravescere, quasi de quærendo remedio admonens. Id ubi suggestum animo, vovet illicò se ad tumulum Patris iturum venerationis ergò. Votum consecuta statim sanitas: ex eo momento dolore dextri brachii se prorsus caruisse testatus ipse est, chirographoque suo confirmavit, Lalovesci eodem anno, XV Cal. Novemb.

I S

Jacmoni

2 Jacmoni Medici, & Bergomholii Pharmacopolæ testificatione & chirographo confirmatum est, (præterita tamen, nescio unde, designatione temporis,) Antoniam Estivaliam, postquam acerrimis capitis doloribus annum totum vexata fuerat, cum aliquando capillum pecteret, amaroſi correptam fuisse, hoc est, illico videndi sensu destitutam proſus, obſtructo nervo optico videlicet, quem noxius humor quidam occupaverat, pupilla ceteroqui illæſa. Verſam mulierem ad remedia nihil non tentasse, nihil non adhiberi curasse eorum quæ ad depellendas affectiones illas oculorum admoveri ſolent: at incaſſum: cum nihil procederet, ex voto ter novies ad Ædem Sacram Collegii Aniciensis ituram, ad maxillam P. Franciſci, quæ ibidem aſſervatur, venerandam; ea denique via priſtinum oculorum uſum recepisse.

Petri item Gaignereau Doctoris Medici, & Nicolai fratris ejuſdem, Chirurghi Jurati urbis Aniciensis, testificatione & chirographo cõſtat, Magdalenam Arnaud, Sanctimonialem virginem in Cœnobio B. Mariæ urbiſejuſdem, hydrope formato, ut

ut vocant, liberatam ope famuli Dei fuisse
(& quidem, ajunt ambo, per miraculum)
hoc modo. Anno millesimo, sexcentesi-
mo, quinquagesimo septimo, Magdalena
eadem correpta peripneumonia est: op-
presso hinc pectore, sic, ut animam ducere
vix posset, febris gravis intervenit, quæ de-
inde in lentam degeneravit. Hydrops
consecutus, & formatus quidem: qui cum
annum penè totum tenuisset, sic, ut à duo-
bus tribusve Medicis ægra conclamata
fuerit, ætate præsertim parum favente;
quippe cum quinquagenaria Monialis jam
esset. Accessit ad cumulum, inflammatio
in brachio valdè formidolosa, ex periculo
gangrænæ: ita, mortem in momenta præ-
stolabatur Sacramentis iis jam munita,
quibus munire se fidelium quisque ad feli-
cem transitum solet. Eo statu cum esset,
delata ad Cœnobium Maxilla servi Dei
est, alius cujusdam Sanctimonialis rogatu,
quæ ex morbo alio decumbebat, VI Cal.
Martias anni sequentis, millesimi sexcen-
tesimi quinquagesimi octavi. Ubi inaudit
Magdalena, Maxillam domi esse, petit
enixè ad se ut deferatur; quando eo statu

erat, per quē sibi minimē liceret pergere eō
 ubi ostendabatur Sanctimonialibus aliis.
 Allatam veneratur ægra, quantā maximā
 mentis demissione potuit: prehensaque
 pyxide, quā felix lipsanum continebatur,
 illicō vigoris viriumque sensit tantum,
 quantum satis fuit ad corpus utcunque at-
 tollendum, quod per diu facere nequie-
 rat: tum precatiunculam in hæc pauca ver-
 bula concepit: *Fidelis serve Dei, Dei voluntas*
fiat! quæ quidem in eam sententiam pro-
 tulit, ut uno eodemque oculo mortem ac
 vitam quasi intuens, non conſanari ſeſe
 poſceret, ſed conſtantiam flagitaret, ad
 eas ærumnas doloresque æquo animo per-
 ferendos: momento eodem multiplex
 morbus abceſſit. Nam & liberē ducere
 cepit animam, & appetitionem ſumendi
 cibi ſenſit: tumorem autem noxium depu-
 lit viſ aquæ ingens, triduum totum manans
 è corpore. Itaque hebdomade eadem è
 lecto ſurrexit: mirantibus cunctis qui de
 deplorato ejus ſtatu cognoverant, & mi-
 raculum inclamantibus. Utriusque testi-
 ficationis autographum penes me habeo,
 traditum Anicii IV Non. April. hujus
 ipſius

ipſius anni, noni & quinquageſimi ſuprà milleſimum ſexcentefimum.

Ante biennium autem, Henricus Mazuerius, in ſuprema Curia Tolofana Senator, cum ex tertiana duplici periculoſè laborans, cum graviffimo capitis dolore conjuncta, humanis jam remediis omnibus nequidquam adhibitis, percontanti Cambolazio Collegæ, num utendum cenſeret tali tempore, pulviſculo ex tumulo P. Franciſci, quem quidem pulviſculum dono ipſe accepiffet à quodam è Noſtris ſe verò perlubenter facturum præfatus, cum pulviſculum ſorbuiffet; dolor quidem capitis abceſſit continuo, febris aliquantò poſt, atque adeò intrà paucos dies ſanitas conſecuta, nullo proſus alio remedio. Rem, tanquam extraordinariam, teſtaram ipſe voluit chirographo ſuo, Tolofæ poſtridie Nonas Sept. anni milleſimi ſexcentefimi quinquageſimi ſeptimi.

Duo denique è Noſtris teſtati ſunt recens, ſalutarem ſe P. Franciſci opem mirè expertos in recuperandâ valetudine graviter afflicta, eo modo quo expoſuerunt ipſi, ſuoque chirographo munierunt. Utriuſq;

sensum reddo verbis ferè totidem Latinis, quot ipsi Gallicè adhibuerunt. Alter, nondum, quantum quidem judico, Sacerdos, sic de se ipse profitetur:

Ego Joannes Passinges, è Societate Jesu, testor coràm Deo, vexatum me fuisse annos quinque sexve, morbo colico renali, quem vocant, unde tam graves dolores existebant, ut identidem me penè exanimem relinquerent: tamque miserè afficiebar, ut vix dies abiret ullus, sine molestissimis incommodis, non modò nullo levamento ex variis remediis, quibus illo tam longo intervallo ex Medicorum præscripto usus sum, sed etiam malo ingravescente ex usu aquarum mineralium, quas anno uno & altero adhibui. Cum igitur inutiliter à me cuncta ista fieri animadverterem, ad opem Sanctorum complurium confugi, at incassum, donec Lugdunum missus à Superioribus, sensum quendam ingentem pietatis animo concepi ergà B. P. Regis (sic ipse loquitur, perinde atquè alii de quibus dictum) de quo mira jam complura audieram, promisi que me ad ejus rumulum aditurum exposcendæ sanitati. Ergo facultate

cultate accepta à Superioribus, eò perrexi,
non sine pergravi incommodo : ibi loci
cùm sacram synaxim obiissem, addidif-
semque præterea certum precum nume-
rum, Lugdunum me recepi, non valens
quidem, (neque enim morbus abcessit,
nisi post menses duos) sed cum firma qua-
dam fiducia, fore ut mihi B. Pater opitula-
retur. Id verò fecit tam integrè, ut toto
quinquennio consecuto, nullam gravem
tentationem superioris morbi passus sim,
perpaucas leves. In cujus rei fidem hæc
subscripsi, debitum veritati testimonium
exolvens. Lugduni, in majori Collegio, vi-
gesimo Aug. anno millesimo sexcentesimo
quingagesimo nono.

Alter autem sic: Ego infra scriptus, Reli-
giosus & Sacerdos Societatis Jesu, testor
coràm Deo, me, cum triennium totum
gravi hæmorrhagia laborassem, exrupta
seu vena, seu, ut periti quidam existimave-
re, arteria quadam ex minoribus; eò reda-
ctum ex prostratis penè viribus fuisse, ut
post tentata remedia plurima diversissi-
maque, præscripta à Medicis Parisiensibus,
Lugdunensibus, Gratianopolitanis, Massi-
liensi-

liensi-

liensibus, Avenionensibus; postque imploratum nequidquam patrocinium duorum triumve Sanctorum è celebribus; prædicaverint iidem artis Medicæ consulti non semel, me nequaquam ex eo morbo revaliturum. Sed cum sub ea tempora auditione accepissem, aliquem alium ex morbo haud absimili B. P. Francisci Regis ope & patrocinio emerfisse, ingentem illicò fiduciam quandam animo concepi, fore ut eo apud Deum sequestro constaneret. Quare vovi, si sanitatem Dominus Deus restitueret, Lalovescum iturum me, ad famuli Dei tumulum, ibi loci sacrificatorum agendis gratiis, & aliquid præterea religiosè peracturum. Et sanctè testor eâ ipsâ die inhibiturum sanguinem fuisse, sic, ut nihil deinceps incommodi inde persenserim, totis videlicet annis novem. Huic rei testificandæ chirographum meum interposui, Lugduni, decimo-tertio Aug. anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi noni.

Benedictus Berthod.

Eandem ipse Latinus Interpres quoque beneficentiam in me expertus sum, Novembri superiore. Nam cum jam dies tres,
noctes

noctes totidem molesto dolore laborassem, quâ sinistrum brachium humero conjungitur; quarta autem nocte, ac postridie manè incretceret dolor, & cum stupore quidem brachii ejusdem, ab humero ad cubitum usque, sic, ut diffiderem me posse eo die Sacrum publicè facere, quòd penè desperarem posse me satis attollere sacram Hostiam; postquam jam de accersendo Chirurgo, domi egeram, subiit ea cogitatio, quandoquidem penes me haberem in theca Reliquiaria, Tolosâ ad me missa, officulum ejusdem famuli Dei; ad illius opè confugiendum prius, quam quidquam aliud tentarem. Ergo ad Oratorium cubiculi privatim brevem orationem cum Antiphona recitavi, de cõmuni Confessoris non Pontificis: mox applicavi brachio thecam Reliquiariam. Et ecce tibi, post momenta aliquot sensi dissipari quiddam in brachio, humerum inter & cubitũ, unde sic levatus sum, ut Sacrum post horam unã & alteram nec incommodè fecerim: adnota autem deinceps identidem diu noctuq; Reliquiaria theca eadem, intrã unum & alterum diem dolor stuporque evanuit.

F I N I S.



I N D E X

Vitæ R. P. FRANCISCI REGIS.

P A R S I.

- §. 1. Ortus & educatio. pag. 13
§. 2. Adolescentia tempus, cursusque studiorum. 18
§. 3. Vocatio, ingressusque in Societatem. 25
§. 4. Tyrocinium. 29
§. 5. In docendo ut se gesserit. 34
§. 6. Philosophia Theologiaque studia. 39
§. 7. Initiatur Sacerdotio. 45
§. 8. Vita Apostolica in Missionibus. 50
§. 9. Vitæ ratio in Collegiis. 61
§. 10. Studium perditas mulieres ad frugem re-
vorandi. 67
§. 11. Obitus, ejusdemque denuntiatio. 73

P A R S II.

Virtutes Joannis Francisci Regis.

- §. 1. Sensus rerum divinarum. 81
§. 2. Humilitas. 86
§. 3. Obedientia. 98
§. 4. Ca-

I N D E X.

§. 4. Castimonia, integritasque mentis & corporis.	103
§. 5. Mortificatio corporis: Paupertatisque Evangelica studium.	108
§. 6. Fortitudo.	114
§. 7. Amor Dei: charitas proximi.	119
§. 8. Zelus animarum.	130

P A R S III.


Res miræ.

§. 1. Opinio de ejus sanctitate concepta.	139
§. 2. Rerum futurarum predictiones.	145
§. 3. Res mira ab ipso in vita peracta.	152
§. 4. Mira ad ejus tumultum.	159
§. 5. Mira ad ejus homologeterium, & per tumuli aspectum.	165
§. 6. Mira alia, per ipsa ejusdem varia.	168
§. 7. Multi eo invocato convalescunt.	172
§. 8. Valetudo multis restituta minus subito, at mirè tamen.	180
AVCTARIVM Latini Interpretis.	190


AD MAJOREM DEI GLORIAM


coll. Sr. J. Paderb. 1660.


OMnia qua hic narrantur, intelligi
volumus juxta mentem Urbani
VIII, expressam in decretis datis Anno
1625, 13 Martii; 1631, 5 Junii; & 1634,
5 Julii.



ge
ni
no
4r










111111

111111







Vita
St. Fr. Regis
S. J. T.

DU

Th

2548